DE VITA ET GESTIS

NAPOLEONIS MAGNI

COMMENTARIUS

JOACHIMO PRIMO

NEAPOLITANORUM REGI

DICATUS.

ROMAE

EX OFFICINA PEREGO-SALVIONIA

ANNO A CHRISTI ADVENTU MDCCCX.

norum praesertim fastos, tum inter medii aevi heroum historias praeclarum inditum fuit.

Alii complures illo connubio adnati sunt liberi, inter quos JOSEPH Hispaniarum Rex non minus pacis, quam belli scientia gloriaque insignis; LUCIANUS, qui amplissimis pro patria muneribus ac legationibus perfunctus Senatoria tandem dignitate decoratus honestum otium publicis curis atque honoribus praetulit, ac literis, quibus maxime praestat, se totum dicavit; LUDOVICUS, qui plurimis magistratibus honorificentissime gestis, Batavorum regimini non tam ut Rex, quam ut pater dudum praeest; HIERONYMUS, qui pluribus terra marique facinoribus praeclarus Vestphalorum regno potitur; ELISA, quae FELICI PASCHALI BACIOCCO nupta Hetruriae populos magna cum laude regit; PAULLINA, quam post LECLERCHII celebris Gallorum ducis primique ejus viri mortem CAMILLUS BURGHESIUS inter Romanos Magnates facile princeps, ac modo Subalpinorum populorum Praeses, duxit; demumque KAROLINA, quae JOACHIMI PRIMI Neapolitanorum Regis est Uxor, & communi plausu illorum populorum felicitati maxime studet.

Vix autem NAPOLEO coepit adolescere, cum miram indolis, ingenii, ac studii in militarem artem propensionem prae se ferret, Briennam in praeclaram ingenuorum adolescentum palaestram ad militarem perdiscendam disciplinam est missus, ubi tamdiu commoratus est, donec omnium plausu

non tam institutus quam institutor ad novam prodiit universo orbi lucem afferendam.

Nihil dicam de assiduo literarum, veterumque praesertim ac recentiorum historiarum studio, nihil de assidua opera Mathematicae doctrinae ab eo navata, nihil de caeteris omnibus militaris scientiae partibus, quibus ille non aequalibus solum, sed majoribus etiam natu longe praecellebat; nihil denique de indolis habitusque gravitate, qua neminem contemnens neminis tamen societatem inhiabat, ac liberalibus solum, philosophicis, militaribusque studiis addictus, alia re nulla, quam librorum eruditorum lectione, optimarumque artium disciplina delectabatur. Quid ergo mirum, si ille ex militari palaestra dimissus anno millesimo septingentesimo octogesimo quinto statim militum centuriae praepositus fuit, ac rei militaris scientiam, qua plurimum praestabat, in summam patriae utilitatem vertere coepit?

Ingruentibus vero teterrimis illis partium studiis ac seditionibus, quae Galliam totam pluribus annis miserrime devastarunt, satius duxit Napolio Paschalem de Paullis in patriam remeantem sequi, quocum trium annorum spatio inter domestica otia conjunctissimam ac pacatam, at non minus studiis militaribus deditam vitam duxit, donec patriarum etiam dissensionum incommoda aufugiens in Galliam reversus est, ibique universam familiam in vico prope Telonam maritimam Galliae Civita-

tem collocavit. Tum cupido Gallos incessit eam Urbem ac portum paullo ante a Britannis occupatum liberandi. Tum ad ejusmodi rem gerendam, ac praesertim ad tormenta bellica militiamque eis addictam regendam nemo aptior fuit existimatus, quam Napoleo, qui a Barrasio caeterisque Gallorum Rempublicam tunc administrantibus illius Civitatis obsidioni, tormentisque in eam destinatis praepositus fuit. Norunt omnes, quanta felicitate ea urbs, quam clarissimi olim Duces amplissimorum exercituum frustra obsederant, recuperata, quantaque inde gloria Napoleoni meritissime parta fuerit.

Non tamen id laudi ac praemio, sed maximae invidiae, ac vitae discrimini versum Napoleoni est scelere ac perfidia nefarii Gallorum tyranni Roberspierrii, qui tunc omnes, quorum merita excellerent, & a quibus sibi aliquid periculi creari posse suspicaretur, trucidandos curabat. Aegre is tulit tantam novi Imperatoris laudem, ideoque omni eum studio perdere statuit. Accusatus igitur Napoleo fuit adversi animi erga magistratus, penes quos tum suprema Gallicae Reipublicae potestas erat: omnia illius scrinia diligentissime fuere perquisita, at nihil inventum, quod summam ejus virtutem, & in patriam charitatem vel leviter obnubilaret. Dimissus ergo carcere est Napoleo, omnia ei fuere restituta, praeter imperium, quod frustra is, ostensa suae vitae sanctitate, virtutum praestantia, crimi-

natorum calumnia, vindicavit: nimis quippe tyranni ejusque satellitum intererat ejusmodi HEROEM deprimere, cujus virtutes per se ipsas tandem emersuras illi intelligebant.

Ita se res habebat, ac NAPOLEO privatae se vitae rursus dederat, cum dies illi advenerunt periculi pleni, sextus nempe, ac septimus Octobris anni millesimi septingentesimi nonagesimi quinti, quibus Senatus, qui tum Gallorum Reipublicae praeerat, dissolvendus, nova Reipublicae forma, nova erat danda constitutio; quod sane tempus nefarii homines ac rerum novarum studiosi avidissime praestolabantur, ut Rempublicam ipsam ac bonos cunctos in rerum omnium ac vitae discrimen adducerent, & aliquid inde lucri ipsi aucuparentur. Ad eorum compescendos impetus opus erat strenuo ac prudenti duce, qui & improborum vim valide opportuneque coerceret, & id quam minimo Civium detrimento atque internecione perficeret. Tunc omnium bonorum oculi in NAPOLEONEM sunt conversi; tunc eorum cunctorum suffragiis hic ad improborum conatus coercendos, ad novam Reipublicae formam jure ac legibus constitutam vi atque armis confirmandam est delectus; ita tamen, ut improborum etiam, ac scelestorum hominum vitae, quoad fieri posset, maxime parceretur. Id muneris tanto animo, virtute, ac prudentia, tanta omnium laude, atque admiratione explevit NAPOLEO, ut nemo unus illum publicae quietis atque otii

restitutorem & confirmatorem, nemo omnium Imperatorum optimum, nemo civium prudentissimum ac suorum amantissimum, nemo in scelestos clementissimum, nemo denique Patrem Patriae illum non judicarit.

Caput II.

Prima Napoleonis *praelia in Italia. Pax per eum inita cum Sardiniae Rege.*

Omnium ergo bonorum oculi in Napoleonem statim conversi sunt; maximamque in spem unusquisque adductus est fore, ut Gallicae Nationis salus & gloria ab hoc maxime viro confirmanda, atque amplianda foret. Opinionem vulgatissimam & cunctis perspectissimam brevi probavit eventus. Opus erat eximio duce, qui Gallicano exercitui in Italiam properanti praeficeretur, quique summa prudentia, virtute, fortuna non modo illum ad certam victoriam quantocyus adduceret, sed etiam militum animos in gravissimis incommodis atque periculis, quibus undique premebantur, opportune confirmaret, illorum inopiae consuleret, Gallorum hostibus vel solo nomine terrorem injiceret. In id muneris tam arduum tamque difficile electus omnium consensione est Napoleo; neque enim alter erat, in quo aut Senatus, aut Populus, aut caeteri Reipublicae Ordines, aut ipse exercitus, cui praeficiebatur, aeque atque aequo jure confideret.

Ingruente hyeme anni millesimi septingentesimi nonagesimi sexti, haud paucas certe, neque virtutis aut militiae expertes, sed omni commeatuum genere destitutas copias Quinque Virorum, qui tum Gallorum Reipublicae praeerant, ac Senatus auctoritate jussuque in Italiam per inaccessas alpes ac montes adduxit Napoleo, qua solus Hannibal temeritatis portento olim in Italiam cum exercitu pervenerat; &, quod mirabilius est, inaudita virtute, sapientia, celeritate militum necessitatibus consuluit, illorum animos conciliavit, vires exercuit, excivit, virtutem gloriaeque cupidinem stimulavit: ac demum omnibus ad bellandum necessariis, quantum eo temporis fieri poterat, instructum exercitum in hostilium copiarum conspectum perduxit. Haud tenues quidem erant Napoleonis copiae, cum illarum numerus quinquaginta ac sex esset peditum equitumque millium; at omni commeatuum (ut diximus) ac praesertim vectorii instrumenti genere destitutae; quas tamen ille brevi, quantum fieri potuit, omnibus ad pugnandum necessariis instruxit. Hostilis autem exercitus triginta ac sex millibus Subalpinis, quadraginta Germanorum millibus maxima ex parte pedestribus militibus Duce Beaulieo, sex mille Neapolitanis delectis equitibus constabat. Hic transitus omnes, atque alpium juga tenebat, ideoque tum inaccessorum locorum situ, tum militum numero, viribus, munitionibus nihil minus, quam Gallorum incur-

siones timebat. Praelio igitur commisso Beaulieus primo Veituriorum aditum sex mille veteranis aggrediendum curavit, quem Gallicae Legioni Praefectus Cervonius ad vesperum usque ita alacriter propugnavit, ut ineunte nocte, perpaucis amissis militibus, in tutum sese ordine, & cautissime receperit. Locis omnibus per Gallos occupatis potiti sunt Germani septimo idus Apriles memorati anni millesimi septingentesimi nonagesimi sexti: iique prima hora pomeridiana Montenoctianum receptaculum, ubi ultimum erat Gallorum vallum, magno impetu maximisque copiis adorti sunt. Mirifice illud Galli adversus aggressores defenderunt. Tribunus militum, qui ipsum mille & quingentis peditibus tuebatur, sacramenti religione hos devinxit, quo ipsi se mortem potius obituros, quam eo loco cessuros promisere: tantaque vi ac tamdiu hostium conatibus obstitit; ut tempus Laharpio Legioni Praefecto interim suppeditarit, quo cum copiis omnibus dexteri cornu adesse hostilesque impetus retundere potuerit. Napoleo, Berthiero ac Massena Legioni Praefectis, Saliceto Legato comitantibus, centrum ac dexterum exercitus cornu circum latera ac terga Germanorum clanculum duxit; eaque ratione primam ac praeclarissimam peperit tot victoriarum, quibus Imperatorum omnium ad hanc usque aetatem celeberrimorum maximus est constitutus.

Quarto igitur idus Apriles, aurora illucescente,

Beaulieus, subsidiariis copiis satis multis receptis, signa contulit cum Laharpio, qui impavido animo, ac magna vi hostilibus conatibus obstitit, donec Massena hostilem exercitum a tergo adoriens Germanos Subalpinosque funditus profligavit. Insequenti die Napoleo apud Carcarias castra posuit, ac Laharpium cum sua legione Saxellum advolare jussit, ut ibi imparatas hostium funderet reliquias, ac posteriore die Canalici urbe potiretur. Massena Degum montem ascendere jussus est, dum Menardius Biestri, Joubertius Divae Margaritae montes occuparent. Hisce itineribus Gallorum copiae Italiam versus properare coeperunt; & quarto idus Apriles Augereaus Millesimi fauces potuit expugnare, dum Menardius ac Joubertius ex adjacentibus positionibus Germanos Subalpinosque depellebant: mille ac quingentos interim Germanos Subalpinosque strenuissimos antesignanos Galli circumierunt, dum illorum dux Provera in montis verticem sese recipiens diruti castri ruderibus prope inexpugnabilibus sese defendit, quae tamen haud exiguo temporis spatio Gallorum tormentis fuere exagitata. Advenit interim Napoleo, qui nihil non molitus est, ut omne Germanis effugium praepediret.

Illo ergo, de quo superius meminimus, die quarto Idus Apriles Napoleonis exercitus e conspectu Germanorum constitit. Sinistrum Gallorum cornu, cui Augereaus praeerat, Proveram circumierat; atque hic sibi iter aperiendum curans a Me-

nardio Gallorum duce validissime rejectus est, Massena sinistrum Germanorum cornu profligavit, qui maximis praesidiis, & immensa bellicorum tormentorum vi Degi oppidum munierant. Illius velites Spinum usque processerunt. Laharpius interim cum universa ipsius ala in tres cohortes divisa longe ulterius progressus est. Sinistra Bormiam transivit, Germanis ferro atque igne cominus obsistentibus, ac flumine corporis dimidium obruente; atque hostium impetus retudit. Cervonius, postquam secunda acie eodem amne vadavit, primo agmini jam flumen transgresso & jam cum hostibus pugnanti magno adjumento fuit. Tertia denique Gallorum acies, duce Boyerio, hostium terga invasit, qui undique circumfusi nullum aliud, quam deditionis, effugium habuere: atque ita caedi per victrices Gallorum copias factae modus impositus fuit.

Laharpius quatuor equitum cohortibus hostes ea insecutus est alacritate, ut novem alia ipsorum millia deprehenderit, atque in deditionem receperit: ac in iis Praefectum Legioni, tres militum Tribunos, tres Liburnorum centurias, quatuor peditum turmas, totidem equitum centurias, tres peditum cohortes, ac quinque Subalpinorum antesignanorum centurias, viginti ac duo bellica tormenta, eorumque carra atque utensilia ceperit; praetereaque devictorum plus quam tria millia caesa ac vulnerata fuerint. Haec victoria eo insi-

gnior fuit, ac insigniorem effectum produxit, quo magis Napoleonis exercitui aditum ad ducis Serrurerii Legionem illiusque auxilia sibi paranda aperuit, & commeatuum munitionumque copiam peperit; dum ejusdem Serrurerii Legio Tanari ripas, Oneliaeque valles tuebatur.

Labore fessi, ac nimium victoria confisi Galli sese quieti ac somno dederant, cum insequenti die summo mane Beaulieus novis accitis copiis eos iterum aggressus est. Septem peditum millibus, quos ille secum duxerat, Degi pagum sine mora recuperavit, ac Massenam Gallicae Legioni Praefectum, qui illius terga petierat, ter repulit. Tunc Napoleo trigesimo nono agmine, cui Victorius praeerat, in acie posito, dum Lasnius octavum constans levis armaturae peditibus cogebat, in sinistrum irruit Germanorum latus: quibus acriter obsistentibus, atque imo etiam semel iterumque Gallos repellentibus, hi tandem Degum reverterunt: atque horum equitatu accedente, fusi sunt Germani ac fugati, & plus quam sexcentos caesos mille & quingensos captivos amiserunt.

Rusca Gallorum equitum Legioni Praefectus statim S. Johannis monte universae Bormiae Valli imminente potitus est: eodemque tempore Augereaus Montezemi repagula occupavit, quae communicationem cum proximis Tanari vallibus praebebant. Pridie idus Apriles Napoleo complura loca invisens illorum praestantissima ac ipsorum

natura munitissima occupavit, atque ejusdem mensis idibus Augereaus Montezemo profectus repagula petiit, quibus accessus ad castra ante Cebam posita per octo mille Subalpinos defensa impediebatur. Bayrandii, & Joubertii agmina maximam illorum repagulorum partem post integri diei certamen expugnarunt. Agnoscentes Subalpini, sese tuto amplius eo in loco consistere nequire, noctu castra deseruere, dum Serrurerius jam Cebam occupabat, ejusque arcem octingentorum militum praesidio munitam obsidebat. Subalpini ad Corsaleae ripam, qua is torrens in Tanarum influit, castra posuerunt; at brevi Serrurerius, signis collatis, post trium horarum pugnam inde illos depulit. Massena tertia vigilia Tanarum apud Cebam transiit, ac Lesegni pagum occupavit: & decimo tertio kalendas Majas Quieuxius ac Fiorella Turris vicum cepere.

Collius Germanorum dux graviora pertimescens sese cum omnibus bellicis tormentis in tutum recipere, ac ad Vici montem pergere contendit. At insectati illos sunt Galli, qui ipsos medio itinere fuderunt, quingentis caesis, mille ac trecentis captis Germanis, undecim signis, totidem bellicis tormentis, plurimisque utensilibus in rem militarem necessariis. Qua clade accepta, hostes sese inter Cuneum & Clarascum muniverunt, repagulo baculis & palis confecto. Totum diem decimum kalendas Majas in torrente Ellero trajiciendo Gal-

li insumpserunt, ac novis pontibus in Sessite constituendis. Insequenti die Serrurerius Trinitatis positionem occupavit, ac bellicis tormentis Fossanum, ubi Collii praetorium erat, quatere incepit. Massena Clarasci alia Subalpinorum agmina profligavit; ac, civitate capta, viginti & octo tormenta, atque omni bellico instrumento referta invenit promptuaria; quo facilius victor exercitus alia facinora capessere posset. Hic brevi constitit NAPOLEO, ac sua oratione milites tum de gestis laudavit, tum ad subliniora impulit; atque eo majore illos laude dignos esse animadvertit, quo magis omni commeatuum atque armorum genere prope destituti tam magna conati essent. Vix quinque ac triginta passuum millibus Augusta Taurinorum distabat, Alba in Augereai, Fossanum in Serrurerii potestatem venerat, ac totam Subalpinam Galliam jam jam victores erant invasuri.

Victorius Amedeus Sardorum ac Subalpinorum Princeps Gallorum progressibus, & aulicorum querimoniis perterritus legatos Januam ad pacem implorandam miserat; atque, interim instantibus semper magis Gallis, nonnisi breves inducias potuit impetrare, ea tamen conditione, ut Alexandriae Statielliorum, Cunei, & Dertonae munitissimas urbes eis traderet. Illius conventionis executionem frustra eludendam curarunt Subalpini, accitis Germanis, qui citius, quam Galli, iis arcibus potirentur; illi quippe tum apparuere, cum jam inducia-

rum leges fuerant executioni demandatae; ac Subalpini legati Lutetiam progredi debuerunt, ubi icta pax est, qua eorum Princeps Allobrogum Provinciam Gallis cedere, tum Nicaeae, Tenulae, ao ac Bovilii principatu sese abdicare coactus est: confinia in Subalpinos maxime prominentia constituit, Brunettae, Oceli, & Segusii arcium demolitionem promisit. Tum omnia valla, & munitiones ultra memoratas arces sese destructurum spopondit, sollemnisque adjecta stipulatio de iis nunquam postea instaurandis. Fenestellarum solummodo, & Castri Delfini satis munitae Urbes ei Regi relictae fuere; Pineriolum jam ante fuerat eversum. Subalpinus exercitus evanuit: illius Dux Collius non majori felicitate ad Germanorum exercituum imperium migravit.

Caput III.

Napoleo *Eridanum trajicit, inducias Parmae Regulo concedit; celebre praelium apud Laudem Pompejam committit: Mediolanum ovans ingreditur.*

Tertio kalendas Majas Napoleo castra movit, ac Germanorum exercitus reliquias maximo impetu insectari coepit, dum illi, Duce Beaulieo, inter Tirolis Montes salutem quaeritabant. Ocior tamen fuit insequentium, quam fugientium cursus; itaut in ipso itinere hi saepius manus conserere, & ulti-

mum Germanorum agmen cum primo Gallorum pugnare coactum fuerit. Dertona potitis Gallis facile fuit Mediolanum progredi. Beaulieus, collectis copiis, Abduae & Ticini transmissionem haud ita gravi negotio impedire se illis posse arbitratus est, & castra juxta Sessitem prope Logoniam posuit eo punctim loco, quo hostes pervasuros esse suspicabatur. At Galli ea tranarunt, ubi vix paucae erant Germanorum centuriae, quae illorum impetum sustinere nullo pacto potuerunt. Vix ea re perspecta, magna Germanorum militum vis accessit; at tanta jam Gallorum multitudo praetervecta fuerat, ut neque obsistere eis Germani, neque impedire potuerint, quin illi Fombii vicum adorirentur, ubi haud exiguae degebant eorumdem Germanorum copiae, ac viginti tormenta bellica asservabantur. Acriter licet ac strenue illud oppidum Germanis defensantibus, ipsum Galli expugnavere, ac trecentos optimos & perutiles equos, magnam vecturarum atque utensilium copiam, quingentos captivos deprehenderunt. Noctu alia mille & quingentorum Germanorum manus Fombium revertit, & Cotoneum usque pervasit, ubi Gallicae Legioni Praefectus Laharpius castra posuerat. Hic invadentium strepitu excitatus, equo conscenso, cohortem progredi jussit, quae statim aggressores profligavit; at in medio certamine ictu globi a ballista ignea emissi ille necatus est. Celeber Alexander Berthierius statim illius agminis imperium suscepit, hostesque in-

secutus est usque ad Vicum Pustorlengum, quod una cum pluribus munitionibus & bellicis utensibilibus in eo repertis occupavit.

Mirae hae Napoleonis victoriae ac progressus praegrandem in caeterorum Italiae Principum animos timorem injecerunt, qui cum Germanis & Subalpinis in Gallorum perniciem conspiraverant. Ferdinandus Primus Parmae, ac Placentiae Regulus Gallorum transitu juxta Placentiam perterritus pacem ab iis petere, & conditiones a victoribus accipere coactus est. Vicies centena libellarum millia is se repensurum promisit; ac praeterea bisceutos vectorios, quadringentos equitatui aptos equos, viginti praestantissimas ex pictis ejus tabulis, decem mille frugum modios, boves bis mille traditurum. Neapolitanae etiam copiae, quae in Germanorum subsidium advenerant, hos deserere, separatas inducias pacisci, & apud Forum Diuguntorum aestiva praepropere statuere debuerunt. Patebat post haec jam Gallis iter Mediolanum; verum ut illa tutius urbe firmiusque Napoleo potiretur, opportunum censuit Germanorum copias, quae undique recollectae, ac recompositae fuerant, procul ab Abduae ripis arcere. Maximo igitur praelio rem totam committendam curavit. At Beaulieus, qui cunctando rem forsitan erat restituturus, & qui praelium potius ab hoste oblatum evitare debebat, illum ad pontem juxta Laudem Pompejam posito praestolari, transitum eo in loco sa-

tis apto ipsi impedire, praeliumque committere maluit.

Sexto idus Majas quarta vigilia Bodincomagum advenit Napoleo, ac nona hora matutina primum Gallorum agmen nactum est hostes itinera impedientes; at primo impetu eos profligavit, tormento bellico orbavit, ac in urbem usque ipsos insectans pervasit. Reliquo satis grandi exercitu Beaulieus, acie instructa ac triginta bellicorum tormentorum vi munita, pontis transitum intercludebat. In eos impetum fecerunt Galli: commissa est pugna, quae pluribus horis incaluit, donec Germani sunt fusi, & Galli flumen tranarunt, eoque ac ponte fuerunt potiti. Nox adveniens, & victoris exercitus defatigatio impedimento fuit, quominus ille profugos longius insequeretur, quorum tamen viginti tormenta bellica, atque tria ferme hominum millia, partim caesa, partim saucia, partim captiva penes victores remansere. Dum vero Beaulieus, Gallis cominus insequentibus, Mantuam magnis itineribus petebat, Napoleo praepropere Piceleonem, Cremonam, Ticinum, Mediolanum, Novum Comum occupabat. Nil igitur Germanorum Imperatori in Italia, praeter Mediolani castellum & Mantuae arcem supererat.

Tunc Napoleo magno conatu, ac facundiae vi suos alloquens, *Nihil pene est*, inquit, *quod vestrae virtuti, gloriae, gestis, victoriis amplius adjici queat. Vos Subalpinos, vos Mediolanum, vos*

universam Cisalpinam Galliam subegistis. Parmae, ac Mutinae Reguli per vos adhuc imperant. Qui paullo ante vobis tanta arrogantia minitabatur exercitus, vix modo, ubi se a vestro impetu tueri possit, locum invenit. Inaccessae alpes, nec minus formidabiles fluvii Eridanus, Ticinus, Abdua vestros cursus vel momento temporis remorari nequiverunt. Nota haec sunt vestris affinibus, amicis, parentibus, communi demum parenti Patriae, quae inauditos ludos, festaque in vestri honorem celebravit. Quid igitur? Num hic vestrorum triumphorum finis? Alii debellandi sunt hostes, aliae ulciscendae injuriae, aliae provinciae occupandae. Non ii, qui vestros legatos necavere, qui vestras classes cremarunt, qui in vos turpiter conspiraverunt, impune abire debebunt. Neu tamen populi, quorum nos amicos ac defensores profitemur, quidquam inde timeant detrimenti. Gentium nos omnium amici sumus, ac praesertim Bruti, & Scipionis posterorum, caeterorumque heroum, quos in primis imitandos suscepimus. Gallorum gens nihil aliud, quam suam unicuique populo quietem otiumque reddere concupiscit. Cum id obtinuerit, nihil praeter summam vestram quietem & gloriam parandam atque confirmandam curabit.

Paullo post Gallorum exercitu Mutinam properante, illius regionis Regulus fugam arripuit; isque apud Venetos sese recepit, penes quos maximam auri vim ante deposuerat; atque interim

inducias per nothum fratrem Regii Antistitem postulandas curavit, quas tamen obtinere nequivit, nisi libellarum septuagies centenis, ac quingentis millibus in pecunia numerata repensis, ac vicies centenis & quingentis millibus in commeatibus; traditisque praeterea viginti ex optimis tabulis pictis, quae in ejus ditione essent.

Caput IV.

Ticini, ac Mediolani seditio; Mincii transitio; certamen ad Borghetum commissum.

Undecimo kalendas Junias Napoleo ad Laudis Pompejae urbem migravit, eoque omnes copias transtulit, illis tantummodo Mediolani relictis, quae ad ejus castellum obsidendum satis essent. Ea re comperta, seditiosi inter colonos praesertim rudesque homines ac proletarios tumultum concitandum curarunt tribus vix horis, postquam Napoleo Mediolano excesserat; eodemque tempore Ticini seditio exarsit, qua plures perditi cives, & sex prope rusticorum millia debacchabantur. Despinoyus Gallorum Dux, qui Mediolani praeerat, facili negocio, ac perexigua manu Mediolanenses seditiosos, Napoleo Ticinenses profligavit, dignasque ac moderatas de sontibus poenas sumpsit: summa autem ipsius festinatio, ac celerrima factiosorum profligatio omnes Germanorum Ducum machinationes evertit, qui earum seditionum

argine expeditissimum ac volucrem victoris exercitus cursum sese remoraturos confidebant.

Germani apud Laudis Pompejae urbem devicti ad sinistram Mincii ripam celerrime confugerunt, ubi illius fluminis transmissionem strenue oppugnavere duplici tormentorum bellicorum ordine ac dextera ala Benaco, sinistra Mantuae innixa, Ardelicaeque arce insuper occupata, quam Veneti Germanis tradiderant. Napoleo Mincium quantocius tranare cupiens praelium pluries obtulit Beaulieo, qui omnes Mincii ripas quatuor fere millibus peditum, mille atque octingentis equitibus tuebatur: quae tamen omnes copiae fusae statim a Gallis sunt, ac per hos tormentum bellicum vi ab hostibus ereptum statim fuit. Ejusmodi facinore perterriti Germani statim aufugerunt, liberamque Mincii pontis restaurandi potestatem Gallis reliquerunt: quo hi transeuntes Beauliei castris ad Borghettum atque etiam Vallegii oppido potiti sunt. Augereaus interim Ardelicam occupavit, ac Beaulieo Tirolis iter curavit impediendum, ut, illius exercitus reliquiis omni intercluso perfugio, nonnisi deditionis aditus pateret. Cum id Germanorum dux ab exploratoribus comperisset, maximis itineribus retrocessit, atque universa Italia migrare coactus est, mille & quingentis peditibus, quingentis equitibus, quinque tormentis, atque octo carris bellicorum instrumentorum plenis inter fugiendum amissis.

Alpium faucibus atque imo Italia ferme universa Germano exercitu liberata, Massena Veronam statim occupavit, dum caetera Gallorum agmina Mantuam obsidebant. At majorum tormentorum defectus, aerisque insalubritas, aestivo calore effervescente, NAPOLEONI suaserunt, ut mera commeatuum interdictione illam urbem arcemque expugnandam curaret. Urgebat praeterea tumultuum Luci in Ferrariensis Provinciae oppido, & in rusticanis Ligurum regionibus concitatorum sedatio: gravesque insuper controversiae, quae Gallis cum Romano Pontifice Pio Sexto, & Neapolitanorum Rege Ferdinando Quarto fuerant obortae: hic quippe multiplices copias ad Telonam occupandam Anglis, & ad Transpadanam Cispadanamque Gallias tutandas Germanis ac Subalpinis auxilio miserat: ille ejusque administri non modo incendiarias epistolas, Legatos, emissarios, satellites ad omnes Europae Principes, Antistites, Populos, Gallorum exitii ac caedis parandae gratia, miserant; verum etiam amplissimos, qui ea de re quererentur, Legatos sicariorum ope trucidandos curarant, Laflottium, & Bas-villium, quorum postremus dira internecione peremptus erat, alter fuga & latitatione incolumis evaserat; sicarii autem peramplis muneribus fuerant donati. Oportebat demum portum Ligurnum Britannorum tyrannide liberare; Haec igitur omnia brevi perfecta sunt. Gallorum agmina passim cursitare, ac seditiosorum impetus repri-

mere coeperunt. Augereaus Bononia, Ferraria, Arce Urbana, haud ita magno labore, potitus est; Pontificis milites cepit, atque in Galliam captivos misit.

Complura deinde Gallorum agmina Pistorii iter cepere, ac Romam recta sese petere velle minitabantur, cum Ferdinandus Tertius Hetruscorum Princeps ipsius aulae Praefectum Manfredinium ad Napoleonem misit, qui hunc ab illius territorio invadendo deterreret. Hostili se haud animo esse in eum Principem Napoleo respondit, illatas a Romano Pontifice injurias bello ulcisci velle, ac solum id cupere, ut Angli Ligurno portu arcerentur; quod cum suis copiis perficere se nequire Ferdinandus diceret, auxiliare Gallorum praesidium ipse in id postulavit, cujus ope facile fuit Gallis exercitum Gentilio Duce in Corsicam mittere, eamque ab Anglis liberare, qui dudum ipsam occupaverant, & qui profugi vix in Argoum portum sese recipere potuerunt. Tum Romani Pontificis animum timor incessit, cum proximam minarum executionem esse comperit. Statim Azarium Hispanorum Legatum ad Napoleonem compellandum, induciasque implorandas misit, quas tamen non alia lege is potuit impetrare, quam Bononiae, & Ferrariae provinciis, Anconae arce, quindecies centenis libellarum millibus, magna boum, & instructorum jumentorum vi, centum optimis statuis, quingentis insignibus codicibus traditis. Qua re territi omnes alii Italiae Principes procellam decli-

nare victorisque impetus, implorata pace, retinere maxime nisi sunt; in iisque Ferdinandus Quartus Neapolitanorum Rex belli intermissionem a NAPOLEONE obtinuit, ut interim pax a Pignattellio Bellomontii Dynaste per eum Lutetiam misso impetraret.

Tota ferme Italia Gallorum potestati dedita, paullo post, quarto nempe kalendas Quintiles Mediolani castellum illis traditum fuit. Interim magna bellicorum tormentorum vis, partim hostibus ablata, partim a Sardiniae Rege tradita Mantuam admota ad illam oppugnandam arcem fuit, urbanaeque militiae ad Gallicani exercitus vires augendas jussae, illique adjectae sunt. Germani contra Tirolis montibus sese tutabantur, illorumque aditus intercludendos curabant maximis munitionibus inter Benaci ripam Athesimque adjectis. Adortus illas est Joubertius, dum Marchandius cohorti praefectus hostem tergo petiit, illiusque sinistrum cornu coepit divexare. Hoc veluti indicium pugnae fuit. Galli inaudita prorsus audacia praeruptos inaccessosque scopulos ascenderunt, centum ex hostibus necaverunt, biscentos coeperunt, atque insuper quadringenta eis tentoria, omnia instrumenta ademere. Eodemque tempore Roccus alteri Gallorum cohorti praefectus Germanos sinistro e latere adortus est, septuaginta ex illis caecidit, ipsorumque castra, atque omnia loca natura & arte munita occupavit.

Praeclaris tamen hisce Gallorum victoriis neque Germanorum animi fracti sunt, neque insignibus subsidiis, quae ad eos missa fuere, aditus interclusus, neque Gallicani exercitus pericula atque incommoda imminuta, sed longe imo illa confirmata atque adaucta sunt. Complura neque exigua agmina a victore exercitu divelli debuerunt ad occupatas regiones retinendas, arces captas tutandas, atque eas, quae in hostium potestate adhuc erant, obsidendas: ac ideo magna illius vis amissa, vel, ut melius dicam, separata est ac imminuta; atque a posterioribus cum hoste conflictibus abfuit. Germanis contra viginti & quinque mille hominum subsidiaria manus advenit, Duce Wurmserio rei militaris scientia celeberrimo, qui Gallicanum exercitum quinto kalendas Sextiles omni ex parte est adortus; quo factum est, ut ille vi majori cesserit Brixiam, Salodium, Coronam, Ripulos, Veronam, atque ipsius Mantuae obsidionem, & centum ac viginti bellica tormenta circum eam posita deserens. Brevi autem hujus Germanorum triumphi gloria in auras abiit; eaque nihil aliud effecit, quam novum divino NAPOLEONIS genio, ac singulari illius scientiae rei militaris, virtutibus, felicitati splendorem afferre.

Haud alia de caussa ille suos loco cedere jusserat, nisi ut novam atque a Wurmserio plane inexpectatam integro exercitui formam daret, novosque & incogitatos ei conflictus pararet, qui jam-

jam Gallorum exercitum ultra Derthonam se depulsurum sperabat. Universis igitur copiis collectis, Napoleo kalendis Sextilibus iter Mincium versus repetiit: quem sane fluvium Wurmserius animo totius Gallici exercitus maximo impetu aggrediendi transmiserat. At cum ille se Gallos primum aggredi putavit, ab Augereao petitus ad Stiverorum Castilionem bismille & quingentos ex suis militibus, ac sexdecim tormenta bellica amisit. Eodem tempore Massena Gallis ad Lonatum jam prope fusis auxilio fuit. Tum Napoleo superveniens eo impetu Germanos repulit ac fudit, ut omnes prope suos milites initio pugnae ab hoste captos, in hisque Pigeonium illi agmini praefectum liberarit, ac hostilem exercitum Decentianum usque fuerit insecutus. Massena interim ad fugam hosti praepediendam volitavit; neque aliud pluribus Germanorum millibus, quam deditionis, perfugium superfuit, postquam quingenti ex his caesi, in iisque duo Legionibus Praefecti, & septem bellica tormenta ab iisdem amissa fuerant. Eodem etiam tempore aliud Gallorum agmen Germanos apud Salodium profligabat, centum vectoriis equis, ac bismille prope militibus captis. Tum valles omnes, quae a Brixiae finibus Tridentum usque protenduntur, a Gallis fuerunt occupatae, ut omne Germanis legionibus Salodii, & Cavardi castra tenentibus perfugium adimeretur.

Nonis Sextilibus Gallicanus exercitus ad Lona-

tum & montem Clarum castra posuit: dum Germani omnes secus Castilionem iterum coiverant, dextera ala Mincio, sinistra Clesi torrenti innixa: novamque aggressionem undique minitabantur. Comperit id statim Napoleo, comperitque simul, quantum ipsius gloriae atque exercitus salutis interesset hostium motus praevenire ac perfringere, illorum in primis legiones Salodii & Cavardi profligando. Ad haec igitur loca ille non majore, quam centum militum numero, comitatus accessit. Vix ille advenerat, Germanorum nuncius adfuit, qui ipsorum Imperatoris jussu venerat exploratum, num Gallorum exercitus, cujus sinistrum cornu jam ab hostibus erat circumseptum, sponte se dedere, an haud dubio exitu belli periculum facere vellet. Iis Napoleo, *vestro*, inquit *Duci nunciate, ipsum, ac totum ejus exercitum belli jure ac victoriae fructu mihi quantocius dedendum esse. Nisi id brevissimo horae fragmento is fecerit, dirae internecioni illum universum statim tradam*. Post haec dicta, protinus omnia ad vividissimum praelium committendum necessaria apparata sunt. At Germani deditionem praelio anteferendam putarunt, ex qua tormenta bellica quatuor, & quatuor etiam Germanorum militum millia in Gallorum potestatem venerunt. Omnia alia hostium agmina ad Cavardum undique caesa fuerant ac profligata. Napoleo tamen retrogradum iter Castilionem versus suscepit, ubi summo mane sibi e conspectu viginti

& quinque hostium millia, Duce Wurmserio, esse cognovit.

Serrurerius suo agmine Germanorum terga invadere jussus est, ea tamen celeritate, ut primo frontium conflictu is quoque illa improviso aggrederetur. Germanorum frons erat formidabilis, maximaque tormentorum vi praedita; at animis adhuc pendebant illorum duces, utrum ipsi Gallos primum adoriri, an illorum aggressionem expectare deberent. Ipsorum dubitationes praevenit ac dissolvit NAPOLEO, qui peditum agmine, toto equitatu, ac decem & octo levioribus tormentis sinistrum Germanorum cornu adortus est eodem momento, quo Serrurerius illorum terga aggrediebatur, ac caetera Gallorum agmina ipsos cominus undique appetebant. Primae Germanorum acies omnino profligatae sunt; ac reliquus exercitus, ubi se a Serrurerio circumseptum vidit, ad Mincium usque regressus est, quindecim tormentis bellicis, centum & viginti instrumentorum carris, octingentis militibus amissis. Insequenti die Mincii ripas Germani adhuc tuebantur, castris etiam haud mediocriter munitis, dextera ala Ardelicae, sinistra Mantuae, centro Vallegio innixo. Opportunum censuit Massena Ardelicae castra aggredi; quo facto hostes statim fudit, iisque duodecim tormenta, septingentos milites cepit, Ardelicam obsidione liberavit. Serrurerius Veronam occupavit, compluribus hostium impedimentis, captivorumque cente-

nis potitus est, ac Wurmserii exercitus reliquias ad Tirolis montes, ut Beaulieo evenerat, post paucas pugnas relegavit.

Duodecimo kalendas Septembres Montem Baldum, Coronam, atque alia munitissima loca occupavit Massena, ac septem in iis tormenta, quadringentos milites Germanis ademit. Torellius alter Gallicanae Legioni Praefectus binas locorum angustias vi cepit, in iisque plura impedimenta, sex tormenta, mille ac centum Germanos prehendit. Augereaus Athesim trajecit, hostes Roboretum repulit, magnam militum vim captivam eis fecit. Wurmserus interim ultra Tridentum castra posuerat, bellicis antea cymbis, quas ipse in Benaco statuerat, crematis. Illius fuga sapienter profecit Napoleo ad sua agmina rectiore ordine disponenda, ac Mantuae obsidionem iterum capessendam. Sahugnetius Gallorum Dux Acroventi, Dallemagnius Burgifortis ponte potitus est, dum Massena, & Augereaus Germaniae montes ascenderunt, in iisque exercitum e conspectu hostium iterum statuerunt; Germanique interim non minus diligenter omnes eorum montium aditus atque ascensus quam Mori castra ad Athesim posita custodiebant.

Pigeonius peditum levis armaturae turma sinistrum Germanorum cornu aggressus est; Sornetus itidem aliis ejus generis militibus alteras hostium manus infestabat; dum magna phalange Victorius consularem viam occupabat. Diu multumque Ger-

mani obstiterunt, donec Vauboisius castra Mori expugnavit, ac post acerrimum certamen hostes Roboretum confugere iterum coegit. Protinus NAPOLEO Ramponium cum suis copiis ulterius progredi jussit, dum Victorius consularem viam tenebat: quo factum est, ut Germanorum fuga accelerari, & salus in Athesis ripis ab iis quaeritari, maximusque militum numerus inter fugiendum ab ipsis amitti debuerit. Wurmserus ex perutili ac munitissima Calliani positione id commodi cepit, ut tempus ad copias colligendas in Tridenti tuitionem atque castrorum translationem aucupatus fuerit. Est ante Athesim, prope Callianum, acutissimorum & inaccessorum montium linea, juxta quam vicus & castellum extat, cujus moenia flumini, hoc eorum montium extremo arctissime jungitur. Lineam hanc Germanorum Dux omnibus suis bellicis tormentis undique munivit.

Nova igitur ad illum aggrediendum oportebat inire consilia, novas artes adhibere. Demartinius Gallorum Dux leviora tormenta praetervehi jussit, atque adeo meatum ad ea transferenda quaeritavit, ut illum ex transverso invenerit, tormenta hostibus admoverit, ignem in ipsos conjicere coeperit. Pigeonius cum levis armaturae peditibus dextera transiit, ipsorum trecenti dexteram fluminis ripam occuparunt, ac tres cohortes junctis manipulis maximo impetu meatum illum superarunt. Tanta Gallorum dexteritate, festinatione, vi, audacia hos-

tis perterritus meatum illum, quem diutius tueri potuisset, statim deseruit. Terror integrum prope Germanorum exercitum invasit, quem fugae deditum diu multumque Gallorum equitatus insecutus est. Septem fere captivorum millia, viginti & quinque tormenta, quinquaginta bellicis instrumentis referta carra, sex hostium signa celebris hujus ad Roboretum partae victoriae fructus praemiumque fuit. Wurmserus praecipiti Bassanum versus fugae se dedit, ac Tridentum omnino deseruit, eamque in urbem Massena triumphans intravit. Vauboisius Germanorum fugam novis periculis atque exitiis cumulavit; eos namque insectans postremum ipsorum agmen vehementissime divexavit. Dallemagnius non sine magno labore centesimam ac vicesimam quintam cohortem sub Germanorum tormenta duxit, dum Joachim Muratus flumen cum altera equitum, alteraque peditum cohorte tranabat. Leclerchius cum quindecim militibus, mille & quingentis passibus longe a suis sese in insidiis posuit, & hostium equitatui magno impetu fugienti ita obstitit, ut nocte urgente terror Germanos invaserit, iique omnes, qui illuc pervenerant, ad numerum usque quadringentorum, sese quindecim hominibus dediderint. Is igitur praeliorum a die sexto kalendas Sextiles usque ad Tridenti occupationem exitus fuit, ut Germani, quorum agmen triginta delectis ex Rhenano exercitu phalangibus constabat, viginti quinque prope mili-

tum millia , centum & quinque tormenta bellica, ducena instructa & onerata carra, quadringentos equitatui destinatos equos amiserint.

Caput V.

Medoaci majoris angustias expugnat Napoleo; *praelium ad Bassanum committit*; *alias apud Ceream , Castellarum , duo Castella , Divi Georgi fanum pugnas init.*

Hae Gallorum victoriae amplissimum aliis straverunt iter, quibus Germanorum vires undique fuere perfractae. Quinto namque idus Septembres, quo die Germani iniquo marte decem tormenta bellica, quatuor captivorum millia, ac Medoaci majoris angustias amiserant, magnis itineribus Galli eos insectati ipsorumque terga sub Veronam adorti sunt; dum Wurmserus iis regressum per insidias praepedire conabatur. Galli autem sub Medoaci angustias ad Solagnae vicum hostes nacti sunt. Utraque acies est ad dimicandum instructa; eamque in rem Augereaus Legionem ad sinistrum latus confirmandum misit, dum quartam cohortem eo punctim loci ire jussit, quo Massena universam suam Legionem duxerat. Insequenti die hora septima matutina acerrimum inter utramque aciem praelium commissum est, quo Germani ipsorum positione, & fortissimorum Ducum hortationibus audaces acriter obstitere. At Gallorum impetus eos

repulit, fudit, profligavit. JOACHIM MURATUS complures equitum centurias ad illos insequendos misit; victoresque Galli Bassanum usque processerunt, ubi Wurmserus nihil tale pertimescens in suis castris adhuc securus degebat. Augereaus magno impetu in illa sinistro e latere ingressus est, dum Massena aliis copiis dexteram illorum partem appetebat. Hic omnibus bellicis hostium tormentis potitus est, viamque per medias Germanorum acies sibi aperuit. Ejusque victoriae fructus fuit duorum & triginta oneratorum carrorum praeda, quinque captivorum millia, complura impedimenta atque instrumenta, & quinque signa hostilia, quorum duo sua manu Lannius cepit. Vix temporis momento abfuit, quin Wurmserus ipse, ejus tabularium, aerarium in victoris manum deciderint. Septimo idus Septembres sub vesperum Augereaus Paduam ingressus est, ac Germani exercitus reliquias adhuc degentes, & quadringentos milites urbis custodiae addictos in deditionem recepit. Massena Vicentiam migravit; & Wurmserus Medoacum transmittere nitebatur, dum binae Gallorum Legiones id ei impediendum curabant: quamobrem nihil aliud spei illi supererat, nisi sub Mantuae moenia salutem quaeritare. NAPOLEO, qui id consilii animo prospexerat, haud exiguas Veronae copias Kilmainio duce reliquerat, quae illius conatibus obsisterent. Sub vesperum ipse de Massenae Vicentiam adventu certior factus fue-

rat, ideoque tota nocte celerrime ad Athesim cursitavit, eumque fluvium ad Leoniacum tranavit. Insequentis diei vespere Massenae Legio ad Roncum illud flumen transmisit, dum Augeréaus Padua Leoniacum volitabat, magnis dextero latere luminibus accensis, ne hostis apud Castrum Baldum fuga salutem quaeritaret. Quinto idus Septembres summo mane Napoleo Massenam statim Sanguinetum abire jussit, ut omnem Germanis effugium intercluderet; dum Sahugnetius ad Castellarum omnes Molinellae pontes excidit. Licuit nihilominus Wurmsero reconditis anfractibus maximisque itineribus Germaniam repetere, antequam maxima Gallicarum copiarum vis eo perveniret, ubi illi omne ad fugiendum aditum erat impeditura.

Wurmserus idibus Septembribus tota nocte Mantuam versus aufugiens adeo volitavit, ut insequenti die summo mane Nogaram pervenerit. Eo perlatus est nuncius, Molinellae pontes excisos esse, & Gallicanam Legionem illum ad Castellarum praestolari: quare de ea via declinare, ac mutato itinere ultimum Molinellae pontem, qui unus integer remanserat, transire debuit. Augereaus interim triduo ante Leoniacum obsidere coeperat: & Massena illuc Victorii cohortem miserat, ad eam arcem alio etiam ex latere appetendam. Paullo post Germanorum praesidium deditum Gallis est, quatuor & viginti tormentis bellicis tradi-

tis, quingentis captivis militibus, qui ea in arce detinebantur, restitutis. Decimo septimo kalendas Octobres Massenae Legio diluculo, Castellaro deserto, Mantuam progressa est, Divi Georgei suburbio potita fuit, hostem in arcem sese recipere coegit. Ac primo quidem impetu Dacorum equitatus Gallos consternavit; at ii trigesima ac secunda adveniente cohorte ita confirmati sunt, ut plenam de Germanis victoriam retulerint. Napoleo nullum non movebat lapidem, ut Germanos omnes aperta planitie ac procul a Mantuae tormentis & munitionibus lacesseret. Ac reapse decimoquinto kalendas Octobres hora secunda pomeridiana iterum inter utramque aciem collatae sunt manus, cum Augereai Legio Acroventum pervenit, ac secundum Mincium ascendens sinistram Germanorum alam adorta fuit; eodemque tempore Salcetus Germanis Favoritae Castellum tenentibus, Pigeonius iis Divi Georgi castellum occupantibus omnem comunicationis aditum cum Mantuana arce ac praesidio interclusit. Tunc Victorius instructa acie adveniens, Kilmainius tricesimam secundam peditum cohortem magnamque equitatus vim ducens eos undique fuderunt, bismille militibus hosti captis, aliisque duobus millibus caesis & vulneratis, viginti quinque bellicis tormentis ademptis.

Praelium Arcolanum

Nuncio de his ad Germanorum Imperatorem

perlato, quinquaginta hic alia ex Rhenanis copiis armatorum millia delecta in Italiam ad ipsius exercitum prope extinctum roborandum, vel, ut melius dicam, resuscitandum, Alvintio, & Davidovichio ducibus, misit. Novus hic exercitus Veronam maximis itineribus properabat, ut Germanarum copiarum reliquiis Tirolis montibus haerentibus quantocius auxilio esset. Quam necessarium esset eam virium conjunctionem impedire, novit Napoleo, qui proinde, Athesi celerrime transmissa, suas omnes copias obviam hosti, e latere, a tergo ad illum undique petendum collocavit. Ea de re moniti Germanorum Duces Liburnorum cohortem & complures Dacorum centurias ad Arcolanum vicum misere; qui locus sui natura, paludum afluentia, amnium intersectione inexpugnabilis prope putabatur; isque toto die decimo octavo kalendas Januarias frustra est a Gallis oppugnatus, ipsorum Ducibus nequicquam progredi, exercituique praeire conantibus, atque imo magna ex parte vulneratis; inter quos Legionibus Praefecti Verdierus, Verneus, Bonius, Lannesius, qui saucii pugna discessere. In tanto discrimine Augereaus Vexillum a signiferi manibus avulsum ad Arcolani pontis finem ovans extulit; nec tamen ullus miles illius vestigia calcare ausus est. Napoleo, cunctis exercitus principibus comitantibus, ipse per se Augereai Legionem ducendam suscepit ab iis quaerens, num iidem essent, qui Laudis

Pompejae pontem expugnaverunt. Et cum ipsorum animum iis excussum sensisset, equo descendens, vexillo arrepto, *Imperatorem vestrum sequiminor*, inquit; atque ipsius antesignanis sequentibus ad pontem volitavit. Haeserunt tamen paullum atque imo retrocesserunt milites, maxima hostilium tormentorum vi urgente: ideoque vici a fronte oppugnandi consilium oportuit deserere, atque agmen expectare, quod Guieuxio duce Albaredi via venturum erat. Illud nonnisi plena nocte advenit, oppugnato vico potitum est, ac plura hostium centena cepit, dum Massena aliam hostilem aciem, qua Alvintius dexterum Gallorum latus infestabat; integre profligavit. Arcolanum interim vicum ante auroram Germani deseruere, paucis ipsorum centenis, ut nuper diximus, amissis, at integro agmine, omnibusque bellicis tormentis & carris incolumibus in tutiorem pugnaeque aptiorem locum receptis. Insequenti die ante solis ortum majore impetu collata sunt signa. Massena dextero e latere hostes repulit, atque usque ad Caldieri portas est insecutus. Joubertius cominus manus conseruit, campumque cadaveribus cooperuit. Napoleo decimosexto kalendas Januarias, ineunte nocte, pontium constructioni, adituique Augereai legioni aperiendo operam navavit. Posteriore die hora decima matutina iterum uterque exercitus ex alterius fronte constitit, Gallorum cornu dextero Augereao, sinistro Massena, centro Joubertio imperan-

te. Primum in Gallos impetum fecerunt Germani tanta vi, ut eos paullum loco cedere coegerint. Jam prope illi dexteram Gallorum alam circumibant, cum Gardannius Napoleonis jussu cum quinquagesima cohorte in insidiis positus hostium latera invasit, ac dira internecione exterminavit.

Sinistram Germanorum alam tum multitudo Gallos longe exsuperans, tum proxima palus tutabatur. Tunc Napoleo Herculem ipsius custodum ducem viginti quinque ex ipsius militibus eligere jussit, iisque comitantibus secundum Athesim cursitare, paludes transmittere, atque hostium terga magno impetu inflatis tubis invadere. Hostilis peditatus eo sonitu excitus ac perterritus fuit. Augereaus opportunum tempus aucupans illum vehementer divexavit, donec altera acies Leoniaco adveniens, ipsumque a tergo adoriens omnino delevit. Massena, qui centrum tenebat, Arcolanum Oppidum recta petiit, atque illud, quod in Germanorum rursus venerat potestatem, recuperavit; vicumque etiam Divi Bonifacii facile occupavit. Nox ulteriorem progressum impedivit: eaque ratione finem habuit praelium istud memoratu dignum, quo Germani octo fere militum millia, decem & octo tormenta bellica, quatuor signa amisere. Galli etiam eo praelio multum adlaborarunt, ac primores ipsorum duces, in quibus Joubertius, Gardannius, ac duo Imperatoris Legati Elliotius & Muironius praeter caeteros, de quibus superius

meminimus, fuere vulnerati. Gallorum Proceres Napoleoni & Augereao vexilla ab iis arrepta donari jusserunt; ac jam tunc omnium ore & consensione Italici agnomen eidem Napoleoni tributum fuit.

Praelium apud Ripulos

Arcolana Clade non tam fracti quam erecti animis sunt Germani, qui novis accitis auxiliis alium exercitum quadraginta quinque militibus conflatum in Italiam misere, eique ipse Alvintius praefectus est. Napoleone transpadanas regiones tenente, paullum Gallos Germani repulerunt; at primo illius adventu longe omnia mutata sunt. Ineunte mense Januario anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi pluries uterque exercitus manus conseruit; ac graviora etiam certamina intentare contendebant Germanorum Duces, quin tamen Gallorum Imperatoris consilia unquam penetraverint. Hic Veronae hostiles motus prospiciebat, ut, quo oporteret, accurreret: Alvintii autem consilia quamcitissime perspexit, cum hic magnis copiis Joubertii legionem aggressus est. Tunc Napoleo Massenae legionem, atque equitatum, cui Reyus praeerat, diversis agminibus atque itineribus ad Ripulos volitare jussit. Idibus Januariis octava hora vespertina ipse Imperator cum exercitus Principibus cursualibus equis eum in locum migravit, quo sub noctis dimidium pervenit: ejusdemque noctis reliquum in locis per Germanos occupatis per-

scrutandis insumpsit, qui viginti hominum millium acie acriter obsistebant. Eodem tempore levioris momenti stationes ad Ripulorum valles a suis militibus recuperari jussit; quo assiduae velitationes inter primas utriusque exercitus excubias ortae sunt. Hora quinta matutina Divi Marci stationem Galli occupabant; ac tum initium praelio datum est, quamvis frigoris rigor utrumque exercitum urgeret.

Joubertius suae Legionis parte primos hostes adortus est ex Divi Marci collibus: alia ejusdem Legionis pars centrum tenebat; sinistrum cornu copiis paullatim advenientibus roborabatur. Primo res bene Gallis cessit, atque hi hostilem quoque integrum prope campum occuparunt. At Napoleo sui exercitus sinistram alam pedem referre, victoresque Gallos, qui nimia alacritate Germanos insectabantur, nimio in discrimine victoriae diutius tuendae versari perspiciens, ad sinistrum cornu ipse protinus volitavit, Berthierumque centro praefecit ea lege, ut temporibus prudentia consilioque serviret. Interim vigesima nona, & octogesima quinta cohors solo admodum cesserat, ac perpaucae tantummodo centuriae cohortis decimae quartae hostilem impetum sustinebant. Collis, quem ista cohors tenebat, viae supereminebat, qua dextera Joubertii ala secedere poterat. Adversum ac periculi plenum rerum statum agnovit Napoleo, qui plura suorum agmina facile circumiri posse vidit, cum hostiles copiae dextero e latere sese collegissent:

Statim ergo in certaminis locum se contulit, ac tricesimam secundam cohortem se, Massena duce, sequi jussit. His coacti brevi fuere Germani pedem referre, ac loca ab ipsis occupata deserere. At dextera Gallorum ala solo admodum cedere, & in culmina per centrum occupata, recto licet ordine, vergere coacta est. Hostis illam insectans e superioribus rupibus ad foveam, quae Ripulorum vallem circumdat, descendit. Joubertius, equo licet saucio, antesignanis anteibat copias reducens, igneamque ballistam agens impetum in hostes redintegravit, dum Berthierius exigua equitum manu inferiorem vallem petebat. Ea fuit istorum vis, ut eorum auxilio pedites Ripulorum vicum recuperare, Germanos ad Athesim fundere, nonnulla his tormenta adimere potuerint. Massena hostes retrocedentes videns illos petiit, ea ex parte fudit, ac mille & quingentos milites ipsis cepit. Napoleo interim certam victoriam prospiciens, omnibusque ad eam assequendam statutis, certior ab exploratoribus est factus, Alvintium quatuor Germanorum millia a tergo Ripulorum procedere jussisse, quae, collibus omnibus inter Benacum atque Athesim occupatis, omnem Gallis cum Verona & Ardelica communionem interciderent. Hi tamen statim Germanos in suam potestatem se redacturos palam dictitabant, dum Germani Gallorum prope exuvias jam inter se dividebant. Et sane illi inopinato horum castra apud Ripulos

petierunt; at non modo minime expugnarunt, verum imo dira internecione, ac fatali exitio repulsi sunt.

Quatuor Gallorum tormenta tanto impetu dexterum Germanorum cornu petierunt, ut illud tum ignis vi, tum Brunii ac Monnierii insectatione divexatum, partim caesum fuerit, partim Gallorum sese dediderit potestati. Napoleo omni Augereai nuncio destitutus communionemque inter hunc & Veronae praesidium intercisam putans Joubertium hostes adoriri jussit, quos accepta clades a Coronae vico propugnando haud deterruerat: &, quae Joubertio supererant, copias Veronam & Castrum novum versus progredi jussit. Eodem tempore nuncius advenit, Germanorum agmen decem militum millibus constans Provera duce idibus Januariis noctu magno impetu Athesim transmisisse, compluribus Gallorum tormentis frustra obsistentibus, illudque jam Castellarum processisse, ac Divi Georgei via maximis itineribus Mantuam progredi. Nona peditum cohors, ac nonnullae equitum Gallorum centuriae, cum primae Germanis occurrissent, ab iis peculiari certamine lacessitae fuerunt. Duvivierius illorum dux provocationem accepit; sese in eos conjecit; ipsos fudit, & clades ad ipsum Germanorum Ducem pervasit, qui decimo octavo kalendas Februarias cum Augereao cominus pugnabat; atque hic omnibus suis copiis undique collectis, duo prope hominum millia, duo

tormenta bellica, duces quadraginta hosti ademit; & ligneus pons, qui super Athesi fuerat constitutus, crematus est; ea tamen nullo impedimento fuere, quominus Provera semper magis Mantuam properaret. Insequenti die Napoleo ad Divi Georgei castellum adveniens audivit, deditione per Proveram Miollio eximio Gallorum duci indicta, hunc respondisse: *Gallorum ducibus pugnam dumtaxat, non deditionem indici oportere*.

Certamen eo die a Joubertio cum Germanis initum non minus felici exitu coronatum est; Provera undique circumdatus & divexatus secundo sese in hoc bello Gallis dedere coactus est: ac perexiguae Germani exercitus reliquiae, quae tot tantisque cladibus supererant, nullo ordine, & maximo cursu Tirolim versus profugerunt, septingentis equis, viginti ac duobus tormentis, carris omnibus atque impedimentis, sex mille ac ducentis militibus amissis, atque in iis integra Voluntariorum ex Flavianis Castris collectorum cohorte, ac vexillis ipsius Imperatricis acu pictis atque illi donatis.

Caput VI.

Mantuae deditio. Napoleo *nonnullas occupat Romani Pontificis provincias, pacem cum eo init; ad Anassum redit, Tilaventum majus, & Sontium transmittit. Primae pacis conditiones in Laubae oppido cum Germanis sanciuntur. Primi Italici bellis finis. Pax ad campum Formium cum Germanorum Imperatore initur.*

Haec Mantuae deditionem pepererunt, cujus praesidium summa alacritate, virtute, ac patientia diuturnam ad ac molestissimam tulerat obsidionem; ac nonnisi equina carne diutissime satiari potuerat. Pridie nonas Februarias Galli arcem occuparunt; posteriore die Germani urbem deseruere. Nonis Juniis superioris anni millesimi septingentesimi nonagesimi sexti illam Urbem munitissimam primo obsidere coeperunt Galli, duce Serrurerio: Kilmainius secundae praefuit obsidioni; atque hic Divi Georgei suburbium muniendum curavit; quo illius arcis expugnatio fuit maxime accelerata. Reperta in ea sunt quatuorcentum triginta tria bellica tormenta, undecim mille quingentae sexdecim majores, quatuor mille, octingentae quatuor minores igneae ballistae, quatuordecim mille incendiarii globi, centum octoginta duo mille ferreae pilae, quingenta viginti millia librarum nitrati pulveris, decies centena,

quadringenta & unum millia quingenti triginta novem fassiculi incediariae materiae in adversarios jaciendae, triginta ac septem mille ferri librae, tercentum viginti unum mille, quadringentae sexdecim plumbi librae, centum octogintaquatuor carra & arcae; quae omnia in Gallorum potestatem venerunt.

Napoleo universa Cisalpina Gallia potitus, Anasso magna hominum tormentorumque vi munito, Romani Pontificis provincias festinanter occupavit, qui, ne dum pacis conditiones per Gallos oblatas accipere, verum imo ne induciarum quidem jam impetratarum leges implere voluerat: atque etiam nonnullis commilitionibus conscriptis Duce Collio, qui Subalpinarum cladium primus acceptor fuerat, Gallis obsistere audebat. Faventiae ponte, ac Senii transitu quindecim dierum ac minori etiam intervallo superato, Tolentinum advenit Napoleo, ubi utilissimam Gallis pacem cum Romano Pontifice iniit undecimo kalendas Martias; qua trecenties decies centena millium libellarum, Felsinae, Ferrariae & Aemiliae cessionem, ac res complures immensi pretii, summique artificii stipulatus est.

Karolus Germanorum Imperatoris frater, qui universo illius exercitui praeerat, Cheli castello capto, in Italiam cum toto exercitu advenit sub initium Martii anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi, & ad Anassi ripas e Gallorum

conspectu castra posuit. Ibi caeterarum Germanarum phalangium jam profligatarum & ad nihilum prope redactarum excepit reliquias, ac suo exercitui adjunxit. Visus ille est consilium cepisse majores Gallorum progressus potius impediendi, quam occupatas ab iis regiones recuperandi. Quarto namque idus illius mensis Massenae Legio eum fluvium tranavit; ac Germani, qui transitum illum impedire conabantur, a primis Gallorum agminibus fuerunt vehementissime repulsi. Gueuxius hora secunda pomeridiana eodem transivit, ac sub vesperum Conelianum pervenit: inde Sacilum usque progressus est, ac postremum hostium agmen adoriens centum, nocte quamvis caligante, iis milites cepit. Interim Massena Bellunum advenit, hostesque Cadoriam usque insectans, septingentos eis milites ademit, in iisque Dacos centum, militarem Tribunum, ipsumque Lusignanum Legioni Praefectum, qui centro imperabat. Idibus Martiis omnes Gallorum copiae Valvasonium usque progressae sunt; & Guieuxii legio hora decima matutina ad Tilaventum pervenit. Germanus exercitus ad aliam fluminis ripam castra posuerat, & Gallis transitum tentaturis obsistere velle videbatur.

Militibus eum fluvium tranare jussis, quaelibet cohors in parvas acies equitatui e lateribus innixas divisa est, Germanos repulit, eosque transitum impedire conantes undique fudit. Transitum feli-

citer perfecerunt Galli, hostibusque profligatis, equitum Legioni Praefectum eis ceperunt. Guieuxius Gradiscam occupavit Germanos undique profugos insectans, eisque sex tormenta bellica, quadringentos milites adimens. Massena Julia Claustra occupavit, hostilemque manum Gavasolae pontis transitum impedire nitentem repulit. Paullo post Bernardottus alter Gallorum dux clarissimus Gradiscam interim per Germanos recuperatam obsedit; ac Serrurerius montes ei supereminentes ascendens omne illius urbis praesidio diffugium impedivit. Hoc tribus hominum millibus, decem bellicis tormentis, octo signis constans in Gallorum potestatem sese dedere coactum est. Napoleo decimotertio kalendas Apriles Julium Carnium ingressus est a Karolo Germanorum Duce desertum; & in illius manum quingenti ex hostibus aegroti, omnesque ipsorum commeatus cecidere. Massena illum insequebatur & Guieuxius Augustanas clausuras eodem tempore occupabat, munitum sane, & non levis momenti oppidum. Eo capto, hostile agmen per Massenam circumdatum brevi, commissa pugna, se illius potestati dedidit; eaque ratione triginta tormentis, quadringentis carris, tribus millibus quingentis adversariis militibus Galli potiti sunt.

Nonnullae Gallorum manus Tirolim ovantes transibant, illam scilicet provinciam, quae potissimum Germaniae propugnaculum putabatur. Jou-

bertius hostiles copias, quae Lavisium tenebant, circumdedit, ac in deditionem recepit; atque eae quatuor militum millia tribus tormentis instructa fuere. Inde Salurnum processit, dum Vialus Novoduni pontem, Athesi transmissa, occupavit, ne Germani sese Bocenum recipere possent. Hostilis autem ignis impedimento non fuit, quominus Dumasius Tramini Vicum occuparet, ubi duo cepit bellica tormenta, centum ex adversariis captivos fecit, Laudoniumque juniorem Boceno protuendo destinatum repulit ac profligavit. Tum Joubertius ad Clausae oppidum processerat, quod hostis maxime munierat: atque ipsum ille magna vi oppugnavit, hic non minore alacritate defendit: resque in ancipiti diu stetit, dum velites, ut inaccessas rupes ascenderent, manibus pedibusque adniti debuere. Undecima ac trigesima cohors, acie instructa, Germanorum centrum fudit, mille & quingentos ex iis cepit. Massena Clangenfurtum primam Carinthiae urbem occupavit; ac sexto kalendas Apriles Joubertius, hostibus iterum repulsis & fusis, Oenipontis angustias tenebat. Insequenti die universus Gallorum exercitus iterum progredi cepit, Massenae Legione ad postremum agmen posita, quae hostem ad angustias inter Freisachum & Novodunum nacta longe repulit: quo coactus est Germanorum Dux Karolus octo antesignanorum cohortes, eorum scilicet, qui Chelum ceperant, suorum auxilio mittere; nam

Germani locum tum sui natura tum maximo tormentorum praesidio munitissimum tenebant. Eo autem parum illorum clades retardata est, quingentis ipsorum per Gallos captis, plurimis caesis ac vulneratis, caeteris magno impetu rejectis & in fugam actis. Quarto kalendas Apriles NAPOLEO ad Scheinfingium castra posuit, unde alia hostium manus depulsa ac fusa est.

Incredibiles hae Gallorum victoriae magnam Francisci Germanorum Imperatoris animo consternationem injecere. Proxima erat Castrorum Flavianorum invasio: ac periculi gravitas ad extraordinaria eum remedia confugere coegit, quibus tamen diffidens inducias cum NAPOLEONE pactus est; isque non abnuit, cum illius tergo instaret Casimirus Liburnorum militum Tribunus, qui Tergeste interim recuperarat, & Laudonius junior, qui Joubertii Legionem Carinthiam tenentem longe repulerat, ac maximis itineribus Veronam properabat; Veneti in ipsorum lacunis classem viginti Dalmatarum millibus instructam habebant; ac non parum periculi imminebat, quin Gallorum exercitus tot hostibus tot insidiis in intima Germania, quo jam pervaserat, circumdatus magno labore atque armis sibi reditum aperire cogendus esset. Istam ergo tam opportunam occasionem, & oblatas conditiones sibi e manibus labi NAPOLEO haud sivit, ac primas pacis conditiones in Laubae oppido nonaginta passuum millibus a Flavianis

Castris distante subscripsit decimoquinto kalendas Majas anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi, quibus Gallorum imperii fines sinistra Rheni ripa statuti, ac nova in Cisalpina Gallia est Respublica constituta. Tum maxima in Venetos Proceres excitus indignatione NAPOLEO in illos irruit, proditionis ipsos incusavit, bellum ipsis indixit. Junotum ad eorum Senatui perfidiam exprobrandam, ultionemque petendam misit. Sed jam omnia ferme illius ditionis municipia in id regimen insurrexerant, jam optimatum jugum excusserant. Tum tres Legati a labente Senatu ad iratum IMPERATOREM missi sunt, qui pacem postularent, & qui eam, duris licet conditionibus, obtinuere, sed domum reversi patriam seditionibus turbatam, plebem in optimates diro odio ac seditionibus actam repererunt, atque omnia incendio, discordia, ruinis ita deperdita, ut nulla spes salutis superesset.

Mediolanum reversus NAPOLEO Cisalpinam Rempublicam instituit septimo idus Quintiles, atque illi Quinqueviros, ac Legum Latorum collegium Gallorum more praefecit. Deinde in Forum Julium atque Utinum migrans post plures allocutiones cum Germanorum Legatis pacem iniit cum illorum Imperatore decimo quinto kalendas Novembres anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi ad campum Formium prope Passerianum, ubi primae pacis conditiones confirmatae sunt, ac

praeterea Venetarum provinciarum usque ad Athesim, Istriae, Epiri, Dalmatiae cessio Germanorum Imperatori fuit stipulata.

Caput VII.

Aegyptiaca expeditio: Gallicana Classis Telone solvit, Melitam occupat.

Post haec Napoleo se Lutetiam contulit, ubi ab iis, qui tum Gallorum Reipublicae praeerant, maximo plausu, ac veluti in triumphum exceptus est; & publica etiam festa in ejus triumphorum celebrationem fuere decreta. Tum is electus est ad pacem cum aliis Germaniae Principibus ineundam; tum re infecta in Aegyptum cum maxima classe ad eam opimam atque olim felicissimam regionem a barbaris liberandam est missus; tum demum haud sane libens Patriam, Italiamque tot tantisque laboribus & periculis a se liberatam deserere, atque in adeo longinquas regiones migrare jussus est: & patriae jussibus is statim obtemperavit, cum tamen domesticae etiam injuriae illum in Italiam revocarent. Joseph quippe Napoleonis frater, qui modo Hispanis tanta laude ac virtute imperat, Romam Legatus per Gallos missus, dum ad tumultum sedandum inermis ac togatus accurrit, a Pontificis militibus petitur, ac nonnisi summa domesticorum virtute & fide incolumis domum reducitur, sicariis illum interim insequentibus,

caeterosque omnes, qui juris gentium praesidio confisi nihil tale pertimescebant, necantibus, ac caeso in iis clarissimo Gallicanae Legionis Praefecto Dufautio, qui proximis connubiis in augustam familiam erat cooptandus; & sicarii, qui tam nefaria scelera aut jusserant, aut patraverant, aut sese patrasse comminiscebantur, summis honoribus ac muneribus ad haec usque tempora cumulati sunt. Haud sane inultae istae injuriae, ac scelera fuere: nam Berthierus cum exercitu Romam missus Pontificem ejusque satellites Roma abduxit, illorum bona publicavit, provincias occupavit, regimenque Gallicano simile in ipsis constituit. At Napoleo domesticis injuriis patriae jussa praeferens, magno exercitu in naves imposito, Telone solvit decimoquarto kalendas Junias anni millesimi septingentesimi nonagesimi octavi, centum nonaginta quatuor naves agens, in easque triginta militum millibus, bis mille Philosophis atque Eruditis impositis.

Formidabilis haec classis quinto idus Junias jam ad Gaulon pervenerat, quo triduo ante aliae onerariae naves Genua, ac Centum Cellis profectae advenerant; eodemque die Napoleo ab Hompeschio Hierosolymariorum Equitum Magistro aquandi veniam postulavit. Eo abnuente, Bruyerius classi Praefectus exscensum e navibus parare jussus est: quod insequenti die statim perfectum fuit, Insulanorum tormentis frustra obsistentibus; ac sub ves-

perum utraque insula, tum scilicet Gaulos, tum Melita subacta est, & princeps istius oppidum Valletta obsidione cinctum. Altero die obsistere perseveravit illius urbis praesidium, quod etiam eruptionem tentavit; at Marmontus decimam nonam Gallorum cohortem ducens illud repulit, ac vexillum ipsi abstulit. Tum tormenta bellica e navibus exportari ad obsidionem adstringendam confirmandamque coeperunt: cum pridie idus Junias Hompeschius inducias summo mane postulandas curavit, ac sub vesperum deditio est conventa, qua utraque insula Gallis est tradita, trecentis millibus libellarum Magistro, septingentis in singulos Equites & annos promissa. Iisque stipulatis, tum munitissima illa urbs, tum complura ejus castella, tum tres majores naves, quatuor triremes, quindecim millia librarum nitrati pulveris, totidem igneae ballistae, magna commeatuum vis Gallis tradita fuit.

Caput VIII.

Galli ad Aegyptum appellunt, Alexandriam capiunt.

Paullo post Gallicana classis Africam versus iterum velificari coepit, ac decimo tertio kalendas Quintiles Aegypti orae apparuerunt. Eadem nocte copiae ad littus exscendere coepere, non mediocri procella ac ventorum impetu nequicquam

obsistente. Napoleo in triremim insiliens secunda vigilia ad littus descendit, ubi in exercitum, qui tum triginta militum millibus constabat, auxiliis ex Italia receptis, imperii habenas resumpsit. Postero die Alexandriam coepit oppugnare, quamvis levioribus adhuc tormentis careret. Primus Kleberius cum magno agmine e Pompeii columna profectus est ad moenibus insiliendum, dum Bonius Roseti portae vim adhibebat. Menous suae Legionis parte triangulare castellum obsedit, ac ejusdem Legionis residuo primus ex adverso latere urbem quamvis septem vulneribus saucius intravit. Kleberio locum insiliendi antesignanis commonstranti adversam frontem igneus globus percussit; at milites animis haud fracti in urbem nihilominus ingressi sunt. Quarta cohors, Marmonto Duce, illorum exemplum secuta Roseti portam prostravit, qua universa Bonii Legio magno impetu in Arabum castra pervasit. Hisce perterriti hostes in triangulare castellum, in Civitatem novam, ac Pharum sese receperunt, & quamlibet domum in arcem converterunt. At sub vesperum finis pralii fuit, castellorum deditio pacta est: Gallique urbe & portu potiti sunt. Eodem tempore Arabes ex desertis accurrentes, ac in triginta & quadraginta equitum turmas divisi Gallorum terga infestabant, eorum carra diripiebant; sed brevi de pace cum iis agi coeptum est, eaque pacta, mox etiam foedus initum fuit.

Summa in Alexandrinos mansuetudine & prudentia usus est NAPOLEO, qui multiplici edicto Aegyptiis, & epistola Memphis Praesidi missa professus est, se nihil aliud in animo habere, quam ut injurias per illorum Magnates Gallis illatas ulcisceretur, ac Populi jura ab iis usurpata & proculcata restitueret. Severissima etiam fuit exercitus disciplina, nec quisquam se a NAPOLEONIS milite laesum jure conqueri potuit. Alia etiam cum Alexandriae Primoribus inita est conventio, qua statutum est, cives omnes suis bonis absque ullo periculo usuros; eumdem, qui antea, Praetorem jus dicturum iisdem legibus, iisdem institutis, ac more majorum: ac Aegyptios ab omnibus in victores insidiis, ab omni proditione abstenturos.

Eleutheria decimo kalendas Octobres anni millesimi septingentesimi nonagesimi octavi celebrat NAPOLEO.

Die decimo kalendas Octobres interim adventante, festum inter Gallos percelebre magna sollemnitate NAPOLEO agendum curavit. Alexandriae praesidium circum Pompeii columnam illud celebravit, in ejus vertice Gallicanum signum constituit: Cleopatrae obeliscus luminibus decorata fuit, ac in media Memphis platea quadrata pyramis constituta est, cui militum nomina in Aegypti occupatione mortuorum inscripta sunt. In Aegy-

ptiarum quoque Pyramidum sublimissima aliud Gallorum vexillum elatum fuit.

Justas de sontibus poenas NAPOLEO *sumit*.

Perlata interim notitia est, ab Alcami Oppidanis NAPOLEONIS nuncium, & quindecim ejus ductores dolo interfectos fuisse. Justa ille ira percitus oppidum statim deleri jussit; atque id sine mora Lannius executioni demandavit, ut alii ejus furfuris barbari, si non virtutis ac justitiae amore, saltim poenae metu ab ejusmodi facinoribus deterrerentur.

Rhamaniensis pugna, Chebreissanum praelium; aliudque ad Pyramides commissum: Memphis deditio.

Ut vero eo revertamur, unde paullum digressi sumus, omittendum non est, NAPOLEONEM milites omnes in Alexandriae expugnatione caesos honorificentissime tumulasse ad Pompeii columnam, cui illorum nomina erant insculpenda. Jactura eo usque per Gallos facta haec erat, ut cohorti Praefectus, Primipili quinque caesi fuerint, quinquaginta milites vulnerati, quadraginta inter desiliendum a navibus in mare immersi. Quintiles nonae, ac duo insequentes dies in Alexandriae regimine Gallicano simili constituendo, & urbe ac portu muniendo insumpti sunt. Necessarium deinde censuit NAPOLEO Memphim versus

exercitum quantocyus mittere, ut phalanges colligendi, ac commeatus abripiendi copiam hostibus adimerat. Quinto itaque idus Quintiles Desaixii Legio Demenhurim versus progredi jussa est: ac postero die Kleberii Legio, Duguato duce, Rosetum processit, ut optimam illam ac mercatoriam Aegypti urbem occuparet, dexteraque etiam Nili ripa potiretur. Naviculae omnes, quibus Niliaca classis constabat, Legionem istam terra progredientem sequebantur. Kleberius jam ex accepto vulnere convalescens Alexandriae imperium suscepit.

Tertio idus Quintiles Napoleo Memphim versus iter suscepit, Demenhuris via sane breviore, at longe difficiliore progrediens. Quinquaginta passuum millibus, non cucurrit, sed volitavit exercitus per inhospita loca ac deserta, in quibus nihil plane, si puteos pessima ac tenui aqua praeditos demas, reperitur. Arabes interim pacta laedentes, aut latera, aut terga infestabant depraedandi caussa, triginta etiam Gallis necatis. Biduo post hi ad Rhamaniei oppidum constitere, ubi Desaixii Legio a sex millibus circiter hostium petita fuerat. Napoleo, qui cum aliis Legionibus longius processerat, pedem retulit, hostium terga adortus est, eosque in tutum se se recipere coegit. Muratbeyus quatuor mille hostilium equitum Dux prope Chebreissi vicum haud longe a Nilo castra posuerat; eique levis in Nilo classis

praesto erat satis multis bellicis tormentis instructa.

Gallorum classis, quae vastum illud flumen pariter tenebat, decimo sexto kalendas Sextiles hostilem classem assiduis tormentorum bellicorum explosionibus divexavit. Terrestres copiae tertia vigilia a Minielsalamei oppido profectae diluculo equitatum jam cum hostibus pugnantem adspexere. Protinus NAPOLEO Legiones omnes in aciem quadratam disponi, ac in medio impedimenta collocari jussit; duos vicos, quos a tergo reliquerat, a paucis triariis occupandos curavit. Tormenta etiam ita posita sunt, ut quacumque hostibus maxime nocere possent. Hi magno impetu in Gallos irruerunt, & tormentorum vi deterriti, omnibus lateribus nequicquam tentatis, recedere tandem coacti sunt, trecentis ipsorum mortuis relictis.

Duodecimo kalendas Sextiles summo mane Pyramides apparuere, ac sub vesperum properantes Galli decimo octavo a Memphis urbe lapide per exploratores resciverunt, tres & viginti Aegyptiorum Proceres, septem equitum millibus comitantibus, ad Embabeum castra posuisse, & vallum sexaginta tormentis muniisse. Octavo kalendas Sextiles ante ea castra Gallicus constitit exercitus, dum Desaixii, & Regnierii Legiones dexterum latus Girahum inter atque Embabeum tenebant ad fugam hosti impediendam: atque

Kleberii Legione centrum, Bonii sinistrum latus ad Nilum usque constabat.

Statim ac Muratbeyus Desaixii incessum comperit, signa cum eo statuit conferre, atque in id suorum Ducum strenuissimum misit, qui delecta manu duas Gallorum Legiones impetu maximo aggressus est: Galli hostes quinquaginta passibus ad se propinquare siverunt; ac tum, magna igneorum globorum copia in eos conjecta, ipsorum audaciam repressere, ac magnam illorum partem necavere. His haud contentus Aegyptiorum Dux in spatia per Gallicas Legiones minime occupata pervadere conatus est; at, his coeuntibus, magna illorum strages est facta; atque hostilis manus prope deleta fuit. Eodem tempore Menous districtis mucronibus Embabei castra pluribus tormentis & non mediocri equitatu defensa oppugnabat. Gallorum agmina, Ramponio Duce, hostium tormentis superatis, magno impetu in eorum castra irruerunt, nec aliud spei his superfuit, quam ut e castris egrederentur, ac maximis clamoribus, summaque equorum velocitate in Gallos incurrerent. Constitere hi, ac mucronibus districtis ita illos excepere, ut solum undique mortuis & sauciis contectum fuerit. Hostilis equitatus in sinistrum Gallorum cornu tunc irruit, at eadem in resistendo vis, idem ordo huic erat. Ballistariorum cohors, juxta quam ii excurrere debuerunt, adeo magnam ipsorum stragem fecit, ut omnes plane

illos conciderit, qui sese in Nilum minime conjecerunt; atque isti hujus aquis immersi periere.

Aegyptii hoc praelio bis mille equitum, maximamque Magnatum partem amisere: atque ipsius Muratbeyi gena vulnerata fuit. Quadringenti, ac plures etiam cameli omni commeatu, atque impedimentis onusti, quinquaginta tormenta bellica in Gallorum potestatem venere. Hostis ex celeberrima atque incolis frequentissima Memphis urbe noctu secessit, magna navicularum, quas ipse in Nilo habebat, parte concremata. Octavo kalendas Sextiles dedita illa urbs Gallis fuit; ac plebs Magnatum aedes incendit, atque alia facinora perpetravit. Napoleo, ante suum in eam Civitatem ingressum, edicto justitiam, securitatem, Religionis libertatem Incolis promisit. Parum tamen ibi commoratus ad reliquum Aegypti debellandum, ex eoque Ibraimbeyum omnino depellendum processit, qui, conquisitis undique suarum copiarum reliquiis, die nocteque ad Syriam properabat. Ad Pelusium viatorum religionis caussa Meccam adeuntium turmam ab agmine Arabum, qui illam praedati fuerant atque in deserta abducebant, Napoleo liberavit. Simul ac Salchichium ultimum ac proximum desertis oppidum is advenit, immensa illius exercitus impedimenta efferri vidit, quin tamen Gallorum equi nimio itinere, labore, ac siti defatigati ipsos insequi potuerint; nec aliud hosti, quam duo bel-

lica tormenta, & quinquaginta onusti cameli, tunc ablatum fuit.

Pugna Remeniana.

Fugierius cum decimae octavae Gallorum Legionis parte Memoufum advenit, ad oppidum prope Deltam situm, seu ad tres euripos, quibus Nilus in mare erumpit, ut deinde ad Mollahelkeberii urbem Galbiae Provinciae primam progrederetur. Illius oppidi ingressu fuit interdictus Gallorum Dux; ideoque vim adhibere coactus est, atque una hora oppidum ipsum expugnavit, ac, trecentis hostibus caesis, illo facile potitus est.

Pugna Gomelensis.

Magna Arabum turma eo in loco Gallicanam cohortem, Damasio Duce, appetiit; at haec illam longe multitudine ac viribus praestantem strenuissime repulit.

Pugna Mirmumorica.

Arabes Bondei vicum undique Nili alluvionibus protectum tenebant, & se vinci haud posse censebant, Niliquе navigationem se impune turbaturos perpetuo sperabant. Muratus, & Lannius eo processerunt, ac tertio kalendas Octobres pervenerunt; eorumque milites ad cingulum usque aqua immersi illud occuparunt, permultis camelis, maximisque hostis opibus captis, qui fugiens suorum ducentos magna ex parte aquis immersos amisit.

Desaixii Victoriae.

Septimo kalendas Septembres Memphi profectus est Desaixius exiguam classem agens duabus minoribus triremibus, & sex Niliacis navigiis constans, ut se ad superiorem Aegyptum conferret. Fluminis cursu adversante, Felhusim pervenit in Nili euripum, qui Josephi dicitur, quique a Muratbeyo relictus erat. Ibi quatuor navigia cepit impedimentis & quatuor bellicis tormentis onusta. Sexto idus Septembres triginta jam passuum millibus Memphi distabat hostilem classem semper insectans, quae ad Cataractas usque Nili perfugium conquisivit. Decimoquarto kalendas Octobres Felhusim is rediit, parvisque velitationibus cum hoste pugnavit; quae veluti praecertatio Sedimanici certaminis fuit.

Praelium Sedimanicum.

Nonis Octobribus Desaixii Legio hostilem aciem e fronte instructam vidit, quae septem mille equitibus, longe majori peditum numero constabat; atque hi Sedimanii valla quatuor tormentis propugnabant. Aegyptii, postquam Gallorum conspectu aliquantum haesitarant, illos horribilibus clamoribus maximoque impetu adorti sunt. Intrepide Galli eos exceperunt, ac tum solummodo, cum proximi erant, igneos globos in eos jecere: at deinde mucronibus decussatis repulerunt ipsos, ac transfixerunt, quin Gallicana acies excussa fuerit. Nihil non ausi tunc Aegy-

ptii fuere ad Gallos profligandos; neque enim ab iis petendis destiterunt, neque, omni spe eos repellendi abjecta, in illos arma conjicere omiserunt; quin imo solo reptantes sub mucronibus ipsorum agmina petierunt, ac crura etiam secanda intentarunt. In irritum tamen omnes cessere illorum conatus, & fuga salutem quaerere Aegyptii debuerunt, dum Galli magno impetu illos insectati Sedimanium petiere, &, quatuor tormentorum igne superato, ipsis, vallo, omnibusque eorum impedimentis potiti sunt. Aegyptii quadringenti clarissimi, in iisque tres Proceres fuere caesi; Galli nonnisi tres & triginta ex suis partim caesos partim saucios desiderarunt.

Seditio Memphi undecimo kalendas Novembres concitata.

Idibus Octobribus anni millesimi septingentesimi nonagesimi octavi Gallos omnes, atque imo cunctos Europaeos Memphi degentes armari jussit Napoleo. Id tamen satis non fuit ad praeconceptae seditionis eruptionem impediendam. Undecimo kalendas Novembres Dupuisius illi urbi Praefectus ad majus templum se contulit, ut conjuratorum turmas, quae singulis momentis increbrescebant, dissiparet. Sed cum omnes ejus conatus in irritum abiissent, vim adhibere oportuit. Conjurati in ipsum ejusque milites irruerunt, ac duobus illum gravissimis vulneribus affecerunt, Nonnulli equites periere; alii ad castra illum semia-

nimem pertulere, ubi vix secunda ab accepto vulnere hora elapsa is mortem abiit. Tum inferbuit seditio ac turmatim Agyptii majus templum ingressi sunt illud circumvallantes, ac lanceis telis igneisque ballistis protuentes. Aliis etiam templis, quasi arcibus, ad sese in iis recipiendos, Gallosque inde aggrediendos illi usi sunt. Statim receptui cani jussit Napoleo; omnes paratae sunt copiae; ac tanto majore unusquisque ardore arma cepit, quanto altius uniuscujusque animos Dupuisii caedes perculerat. Cuncti igitur Galli atque Europaei primam, quam nacti sunt, suorum turmam secuti sunt.

Cohortem ad templum aggrediendum procedere jussit Napoleo, quod satis munitum ad numerum usque octo millium hostes tenebant. Deditio illis indicta fuit; at, ipsis recusantibus, complures e castellis in urbem, ac praesertim in templum seditionis asylum ignei globi conjecti sunt. Aliae interim Gallorum cohortes per totam urbem cursitabant, & in alia minora templa per seditiosos occupata irruebant. Eodem tempore omnia petita & expugnata sunt templa, ac victores per compita seditiosos insectati dira illos internecione mactarunt. Aegyptii quoque Gallos, quos aut ab aliorum consortio separatos, aut minore vi praeditos nacti sunt, omnes jugularunt; eorum aedes, ac stativa diripuerunt, atque incenderunt. Caffarellii domus prae caeteris vastata fuit, atque excubiae,

quae illam custodiebant, enectae. Insequenti die atrocius furere & crassari coeperunt seditiosi; ac magno opus fuit labore, prudentia, consilio, ad quietem urbi restituendam. Sex prope Aegyptiorum millia, ac centum viginti Galli caesi, plurimique vulnerati iis diebus fuere.

Praecipuorum, quae pro Aegypto regenda edita sunt, jussorum epilogus.

Vix amoenam hanc, vastam, celebremque provinciam Napoleo occupavit, optima ac prudentissima edidit decreta ad illi felicitatem, Gallicano Populo acquisitionis perpetuitatem pariendam. Eorum summa haec est.

Quinto kalendas Septembres.

Unam pro toto exercitu, omnibusque Ducibus, ac ipso Imperatore panis speciem fieri jubet, ac nonnisi valetudinariis sinit meliorem panem suppeditari.

Quarto nonas Septembres.

Praesides ac Duces omnes tributum quodlibet imponere vetat: Consiliumque ad caussas ea de re cognoscendas Memphi instituit.

Tertio nonas ejusdem mensis.

Naves omnes per Nilum commeantes, ne quolibet nomine detineantur, interdicit.

Septimo idus ejusdem mensis.

Aegyptiorum Optimatum humanitate, litteris, virtute, atque in Gallos meritis praestantissimorum indicit comitia sexto nonas Octobres habenda.

Quinto idus Septembres.

Adolescentes omnes ex Proceribus eorumque servis militiae adscribi jubet.

Tertio idus ejusdem mensis.

Consilium Memphi instituit pro incolarum sanitate tuenda, ac morbis praesertim contagiosis ab Aegypto arcendis.

Quinto nonas Octobres.

Europaeos omnes Memphi degentes urbanae militiae nomen dare jubet, ac decem Centurias ex illis conflat; ballistas igneas atque arma ad Aegyptios continendos iis distribuit.

Interim vero, pridie idus Sextiles Gallicana classis in Aboukirii freto ab Anglis petita post diuturnum strenuumque certamen ab his plane deleta fuit; belloque Gallis par Tracum etiam Imperatorem indicto, nihil aliud praesidio NAPOLEONI fuit, quam divinum ejus ingenium, rei militaris scientia, consilium, felicitas; quibus in Palaestinam usque pervasit Erythraei maris oras excurrens, ac per deserta Syriam inter & Aegyptum sita progrediens, Caphamque, & Gazam opimas civitates expugnans; & Divinorum etiam heroum prodigia renovans, cum sicco pede, aequore refluente, exercitum per illud transmisit; cumque aquam eo punctim in loco, ubi Moyses olim, omnium admiratione totoque exercitu intuente, eliciendam curavit. Quemadmodum vero Tyri obsidio progressus Alexandri remorata est, ita Ptole-

mais Napoleonis. Hic itaque Alexandriam redux de cladibus per Gallos in Italia acceptis certior est factus; ac in patriam statuit remeare, istius consilii participe uno reddito Alexandro Berthiero perpetuo ac fido ipsius assecla & comite, ac missis Kleberio epistolis, quibus ei provinciae, atque exercitus imperium committebat, & discessus necessitatem, animi aegritudinem, spem expediti reditus exprimebat. Ac revera quarto kalendas Septembres anni millesimi septingentesimi nonagesimi noni navem ille conscendit in Galliam reversurus.

Napoleonis *in Galliam reditus*.

Sub insequentis Octobris initium ad Forum Julium appulit Napoleo. Sieyius Quinqueviris, qui tum Gallorum Reipublicae praeerant, illius reditum renunciavit: ac Populi exultatio verax fuit, sincera, praegrandis, universalis. Publicos omnes plausus ac festa respuit Napoleo, convivio dempto, quod in Divi Sulpicii aede ei publice datum est, quodque is libenter accepit. Gallorum Senatus, qui intestinis externisque bellis finem imponere gestiebat, statim Curiam, ac Legumlatorum Consilium Lutetia ad Divi Claudii Vicum transferri jussit. Eo se quoque contulit Napoleo, qui Senatum adiens, *In maximum*, inquit, *discrimen Respublica erat perducta. Providissimo Senatus consulto illius ac bonorum omnium salutem vos restituistis atque confirmastis. Eo mei omnes ac meorum commilitorum conatus huc usque*

spectaverunt: eo nunc etiam spectant, ac, nonnisi eo obtento, arma nos deposituros jurejurando pollicemur. Magno haec plausu, universalique laetitia Patres exceperunt; at non ita Tribuni Plebis, qui dum veteribus novas intestinas discordias addere meditabantar, a praeclaro Gallorum equitum Duce Murato dissipati protinus, ac suis sedibus dejecti fuere.

Quinto idus Novembres idem Tribunorum Collegium, seditiosis expulsis, decretum edidit, quo supremum Quinquevirorum Magistratum abolevit, iisque tres Consules, Napoleonem, Sieyium, Rogerducosium substituit. Variae deinde mutationes in Gallicanae Reipublicae regimine evenere, donec kalendis Januariis anni millesimi octingentesimi Napoleo, universo assentiente ac plaudente Populo, Senatu flagitante, cunctis Ordinibus urgentibus, primus Gallicanae Reipublicae Consul est renunciatus; ac tunc ille amissarum, eo absente, provinciarum recuperationi sedulam operam navavit; pluresque in id copias Divione ad novum conflandum exercitum coire jussit, iisque Alexandrum Berthierum praefecit, qui kalendis Martiis Genevae iter suscepit, eoque primus Consul, recta ac prudenti Reipublicae administratione constituta, intestinis odiis ac discordiis radicitus evulsis, fine bellis civilibus imposito, pace hostibus nequicquam oblata, festinanter evolavit.

CAPUT IX.

Secunda NAPOLEONIS *in Italiam descensio, Cisalpinae Galliae recuperatio.*

Praecipites torrentes, perpetuae glacies, praeruptae rupes satis apti obices non fuerunt ad alium in Italiam descensum novo Gallorum exercitui impediendum, & ad tormenta etiam atque impedimenta per alpes penninas locis inaccessis agenda. Primus Lannius sua Legione Augustam Praetoriam, Castellionem, omnesque eis contiguas regiones occupavit. Marmontus potitus est Bardo: Eperrodia Gallis statim patuit. Palfius Germanorum Dux certamine ad Chiusellum commisso decimo kalendas Junias profligatus & caesus fuit. Gallicani exercitus frons magnis itineribus ad Padum properabat; & Toureaus alteri Gallorum Legioni praefectus per Alpes Cottias in Italiam progrediens Segusio & Brunetta potitus fuit. NAPOLEO, acie ad Clavasium instructa, suos collaudavit, & ad majora peragenda animos eis adjecit. MURATUS Vercellas occupabat, dum Monceyus summas Alpes transmittens ad Verbanum Lacum properabat. Aliud Gallorum agmen Sempione descendebat, & Lecchius Cisalpinorum Dux per Montem Rosam permeabat Rothomagensium Principem oppugnans & fugans. MURATUS Vercellis Novariam migravit, atque inde Ticinum

fluvium, licet nivium solutione tumidissimum, transmisit; ac Laudonius junior a Marmonto & Pino coactus est Turbigo cedere; dum Napoleo triumphans Mediolanum a Germanis desertum ingressus est. Gallorum progressus in Melasii Germanorum Ducis oculos insiliebant; nec tamen fidem nunciis ea de re perlatis ille adhibere volebat. Lannius interim, Duria rursus transmissa, Ticinum advenit, & magno tormentorum numero, promptuariis, impedimentis, hospitio militari in ea urbe repertis potitus fuit: Lecchius Cassanum & Brixiam, Duhesmius Laudem Pompeiam occupavit. Melasius igitur, copiis omnibus, quas poterat, undique collectis, Otto e Liguria, Elsnitio Nicia revocato, acie Dertonam inter atque Alexandriam instructa Gallorum progressibus magna vi statuit obsistere.

Massena interim, qui superiore anno apud Helvetios Germanorum & Moschorum impetum summa vi represserat, Genuam tenuit, donec Germani Varum tranantes Galliam invadere inani conatu nisi sunt. Eam ille Civitatem praeter omnium spem atque opinionem propugnavit ad illum usque diem, qui est pridie nonas Junias, quamvis fames in dies ingravesceret. Tandem eo cedere ac sinistram exercitus alam inde educere, & Napoleoni magnis itineribus ad opem ei praestandam occurrenti obviam ire coactus est.

Caput X.

Celeberrimum praelium Marenghianum, & Lunaevillarum pax.

Elsnitius Germanorum Dux Nicia revocatus fuerat, ut Melasium illius exercitus Imperatorem sequeretur. At Galli Duces Kellermannus & Monnierus, ne id efficere posset, ad Montem Bellum acriter obstiterunt. Tum celebris ad Marengum commissa est pugna decimo octavo kalendas Quintiles, qua tres Germanorum phalanges, atque ea praesertim, qua antesignani praeliabantur, victoriam prope manibus tenebant; atque ipse Melasius magna virtute atque impetu, quamvis ei tres equi caesi essent, pugnavit. Divinum Napoleonis ingenium, mira ejus fortuna, praeclara ab aliis etiam Gallorum Ducibus, (ac praesertim a Desaixio, qui inter praeliandum interfectus est) gesta facinora victoriam ipsis peperere. Napoleo inter suorum agmina cursitans, suosque ad fortiter pugnandum adhortans, *mementote*, inquit, *me post pugnae diem in hostium castris solere conquiescere*. Sub vesperum conflictus majore furore renovatus est, ac Germani tandem repulsi & profligati fuere. Maxima tunc facta est Germanorum strages, ac Melasius vespere Alexandriae Statiellorum, consternato animo primoribusque exercitus Germanis Ducibus circumstantibus, de-

gebat; cum Zachius Germanorum Dux, qui bello captus a Gallis fuerat, una cum nonnullis Gallicani exercitus Ducibus advenit; atque eadem nocte stipulatae sunt induciae, quarum conditiones fuerunt, ut Genua, ac tota Liguria, Augusta Taurinorum, Cuneum, Dertona, Insubria tota, ac Gallia Subalpina, Mediolanensis regio, Bergomum, Forum Diuguntorum, Brixia, Mutina, Regium Lepidi, Felsina, ac tota Aemilia ad Mincium usque Gallis redderetur; Mantua, Ferraria, Hetruria tota in Germanorum potestate remaneret; regio inter Ollium & Mincium sita ad neutram partem pertineret: quamvis tamen postea celebri ad Lunae Villas inita pace regiones omnes ultra dexteram Athesis ripam quinto idus Februarias anni millesimi octingentesimi primi Gallis cessae fuerint. Illius victoriae atque harum induciarum is fuit fructus, ut duodecim munitas & prope inexpugnabiles urbes atque arces, bis mille tormenta bellica, vinginti quinque tentoriorum millia, quadraginta millia ballistas igneas, viginti duo millia validos, duodecim mille aegros hostes, duas classiculas, immensa impedimenta, commeatus, carra Galli receperint.

Haec Napoleonis gesta, ac victoriae deinceps per Brunium de Germanis relatae in Venetis regionibus, secundusque exitus celebris praelii ad Hoelindam a Moureao commissi idibus Decembribus anni millesimi octingentesimi, Continenti

pacem peperere. Melasius, post inducias obtentas, Placentiae & Parmae via Veronam usque cum exercitus reliquiis, ad sexaginta usque hominum millia, secessit; eique in exercitus imperio Bellegardius origine Allobrox est substitutus. Napoleo Mediolanum ad Cisalpinam Rempublicam restituendam commigravit; ibique, gratiis Deo ob relatas victorias sollemniter actis, in Gallias reversus est, per quas transiens ad damna, quae anterioribus tumultibus illata fuerant, sarcienda animum intendit. Galli ex oppidis cunctis atque urbibus, ac praesertim Lutetia illi redeunti occurerunt, ipsumque *Liberatorem ac Patrem Patriae* acclamarunt. Tum Napoleo, bellicis curis sepositis, ad politicas animos convertit; & Paullum Primum Moschorum Imperatorem, Septemtrionalesque omnes Reges, aut a Britannis sejunxit, aut saltem ad neutrius partes sequendas induxit: licet violenta mors Paulli, quae evenit octavo kalendas Apriles, captorum consiliorum executioni non parum obstiterit; cum ille Napoleonis virtute, sapientia, magnanimitate captus (qua ille Moschos omnes captivos humanissime habuerat, novis sagis instruxerat, absque ulla redemptione restituerat) foedus cum ipso jam jam esset initurus.

CAPUT XI.

Pax cum Anglis Ambiani inita. Lugduni Cisalpinorum comitia habentur; Italica Respublica, Hetruriae regnum constituitur.

Bello Gallos inter ac Germanos Lunaevillis, ut nuper diximus, prope Nanceium primam Lotharingiae Civitatem, composito, ac deinde Florentiae cum Neapolitanorum Rege Ferdinando pace inita quinto idus Majas, demumque illa sub Junii finem cum Lusitaniae Rege restituta, omnes NAPOLEO curas, omnes ingenii nervos ad ipsam cum Britannis statuendam intendit. Brevi illa tanti herois ductu atque auspiciis ad finem perducta fuit. Otto namque Gallorum Legatus primas conditiones pacis Londini subscripsit kalendis Octobribus ejusdem anni millesimi octingentesimi primi; eaque conclusa & sancita a JOSEPHO NAPOLEONIS fratre, & Cornvallio Britannorum Legato Ambiani fuit octavo kalendas Apriles anni millesimi octingentesimi secundi. Ejus conditionum summa haec est, ut Angli Batavis, Hispanis, Gallis Colonias omnes, portus, orasque maritimas ab ipsis bello occupatas reddere deberent, Taprobanae ac Trinitatis demptis insulis; una Respublica ex septem insulis Jonicis constitueretur, Melita Hierosolymariis Equitibus redderetur, piscationes in Terrae Novae insula, & Divi Laurentii sinu eodem jure, quo ante bellum erant, statuerentur.

Pace cum exteris omnibus gentibus ita constituta, totus in eo fuit NAPOLEO , ut, quam armis defenderat patriam, & cujus imperium confirmarat ac propagarat, eam internis factionibus sedatis, republica optime administrata, agricultura ac negociatione aucta eorumque impedimentis sublatis, ad summum felicitatis opumque gradum eveheret. Neque hasce suas curas in Gallos solum, sed in finitimos etiam amicosque populos contulit. Helvetii, Batavi, Ligures beneficam NAPOLEONIS manum, consilia, adjumenta experti sunt; iisque Constitutiones datae fuere, quae illorum statui & votis congruerent. Hetruscis item morem gessit NAPOLEO, dum Ludovicum ultimi Parmae Reguli filium Regem eis dedit, ac Ferdinando Tertio, qui illis antea Populis imperarat, Salisburgi principatum attribuit. At ad Cisalpinos in primis, quos prae caeteris Sociis adamabat, oculos mentesque ille convertit. Eos nova Constitutione, novo nomine, novis magistratibus, sua denique propiore tutela felices reddidit; neque alio ab iis nomine, quam PATRIS nuncupatus est, cum tamen illud satis haud esse agnoscerent ad eum designandum, qui bis vitam ei Nationi jam dudum antea extinctae dederat, tantoque studio, diligentia, amore conservabat.

Caput XII.

Ilvae acquisitio. Conventio cum Romanorum Pontifice inita de Religionis apud Gallos restitutione ac moderatione.

Hetruriae Regnum partem Ilvae continebat, quae insula est in Thyrreno mari Corsos inter & Ligures sita: ejusdem Argoum portum munitissimum Angli ultimo bello occuparant. Opportunum ergo censuit Napoleo illa insula potiri, atque Hetruriae Regi maritimas Thyrreni maris oras, quibus Neapolitanorum Rex paullo ante cesserat, tribuere. Statutum id est aequissimo decreto, quo, Ilva aliaeque minores insulae ei adjacentes Gallicano Imperio additae, optimaeque pro earum regimine latae leges fuerunt. Quibus ita constitutis, atque imperio ac pace solidissime confirmata, ad animorum quietem religionemque restituendam processit Napoleo tanta felicitate, ut nihil utilius Gallis, amicisque omnibus, & sociis eorum Populis excogitari potuerit.

Tribus scilicet a Romano Pontifice missis Legatis, Caprario, Spina, & Casellio, inita Lutetiae conventio est pridie idus Quintiles anni millesimi octingentesimi secundi, quae postmodum promulgata fuit decimo octavo kalendas Septembres, ac praecipua Gallicani juris pars est declarata. Ea agnoverunt Pontificis Legati, Sacerdotum ac templorum bona jure esse per Gallorum Rei-

publicae Praefectos distracta : Antistites majores ad numerum usque decem, minores ad sexaginta toto Gallorum Imperio fuere constituti: Sacerdotum Collegia, atque initiandorum seminaria sunt jussa; iis certi reditus, ac praesertim Parochis statuti fuerunt; Catholica religio restituta est; quin tamen ejus nomine cuiquam alterum insectari liceret: juris jurandi formula aequi admodum ac moderati per Sacerdotes praestandi praescripta fuit: atque ejusmodi conventiones paullo post ad Italicam quoque Rempublicam protractae sunt; quo factum est, ut Religio apud eos Populos iterum florere, ac penes omnes summo in honore esse coeperit, boni ea de re triumphos agere, impii ac nefarii viri haud amplius infesti piis tranquillisque civibus eo nomine esse potuerint.

CAPUT XIII.

Tumultus & seditiones in Divi Dominici insula quotidie magis ingravescunt. Vatrinus Gallorum Dux ab hostibus capitur; Leclerchius Gallici exercitus Imperator moritur.

Post Ambiani pacem magna ex Brivatum portu expedita classis est ad vastissimam Divi Dominici insulam sub Gallorum potestatem iterum redigendam. Toussaintus quidam Louverturius populari aura fretus comitiis habitis anno millesimo octingentesimo primo eam ab insulae accolis Constitu-

tionem sanciendam curarat, quae, Gallorum prope excusso imperio, ipsum totius insulae Dictatorem perpetuum creabat, ac jus etiam eligendi sibi successoris tribuebat; &, quod magis est, Toussaintus sexaginta armatorum millibus se suamque Constitutionem tuebatur. Ad hunc igitur oppugnandum exercitum, ad illius Ducis audaciam compescendam, ad insulam totam in Gallorum potestatem redigendam ea, de qua nuper meminimus, expedita classis est, Duce Leclerchio Napoleonis leviro; quae sane sub initium anni millesimi octingentesimi secundi ad insulae portus feliciter appulit. Ac primo quidem expeditio illa brevi duratura, & rebelles in potestatem facili negotio reversuri sunt visi. Nam primis praeliis statim illi undique fusi sunt ac fugati, atque ipse Toussaintus captus a Leclerchio fuit, & in Gallias missus. At deinde aeris insalubritas, commeatuum inopia, nimius calor, cum Gallorum vires atque animos praeter modum fregit, tum rebelles maxime erexit, atque auxit; ac ipse Leclerchius contagiosa febri consumptus est. Nuncius deinde advenit, Vatrinum etiam alterum Gallorum Ducem a rebellibus captum dire interemptum esse, complures subsidiarias copias a Gallorum fide descivisse, quemdam demum Dessalinium Republica potitum sceleribus & stragibus inauditis plane atque incredibilibus totam insulam coinquinasse.

Caput XIV.

Bellum inter Gallos, & Britannos redintegratur.

Licet Galli, ac primus eorum Consul Napoleo pacta omnia Ambiani pace conventa religiosissime & maxima festinatione implessent, ac provincias omnes, portus, quibus se abdicare promiserant, statim reddidissent, non ita tamen Britanni e Melitae insula, Aegypti oris & portubus, atque Alexandriae Civitate, ut statutum illius pacis conditionibus fuerat, migrarunt. Vehementer ea de re conquestus fuit Napoleo: at alium ipsius querelae effectum haud produxerunt, quam novos delectus in Britannia factos, novos clamores, novas minas, Britannici Legati e Gallia evocationem, ac demum libelli evulgationem, quo bellum rursus per Anglos Gallis indicebatur. Longe potiori jure Napoleo illud se in eos gesturum esse edixit; atque ita teterrimum bellum, quo universus prope orbis adhuc excruciatur, renovatum fuit.

Caput XV.

Hannovera a Gallis occupatur.

Ut in indicendo, ita & in inferendo bello priores fuerunt Britanni. Ii namque primi complures mercatorias Gallorum naves depraedati sunt, ii istorum oras, portus, Civitates commeatibus interdixere, ii praegrandes classes in hos immiserunt; ii demum haud exiguas copias collegerunt, atque e Gessoriaci conspectu collocarunt. Tum Napoleo Mortierum Gallorum exercitui in Batavia imperantem jussit copias ad Hannoveram deducere, atque illam provinciam, quae ab Britanniae Regem spectabat, occupare. Quod is statim perfecit, ac, demonstrata illis Populis belli per Anglos inflicti iniquitate, horum vim vi repellendi necessitate, ac demum utilitate iisdem Populis ex quieta & pacata vivendi ratione obventura, magnis itineribus ad torrentem Huntam properavit, cujus ripas hostilis exercitus tenebat; atque imo Hammersteinius adversae frontis Dux ad Diepholtiam castra posuerat; eumque locum duabus peditum, totidem equitum, una triariorum cohorte propugnabat. Mortierus insequenti die hostem illinc statuit depellere; ideoque secundum agmen, duce Schienero, & equitatum, Duce Natsouthyo, Goldenstedam superare, Huntam trajicere, quantocyus Suhlingam volitare jussit;

ut omnes Anglorum copias, quae inter eum locum, & Diepholtiam essent, adventu prohiberet: dum alia ex parte Montrichardus alter Gallorum Dux hostiles copias Diepholtiam tenentes magno impetu erat aggressurus.

Noscentes Angli, ea ratione dexterum illorum cornu a Gallis circumdari, noctu Borstum secessere. Kalendis Juniis anni millesimi octingentesimi secundi Gallicani exercitus frons, Droueto Duce, eum in locum ad hostes petendos volitavit, licet horum castra satis munita, & magna tormentorum bellicorum vi circumvallata essent. Nonnullae Gallorum velitum manus Britannos urserunt, illorum agmina disruperunt, multos ex iis ceperunt. Mortiero nunciatum est ab exploratoribus, Novoburgi pontem esse restauratum, hostesque omnem eorum vim, omnia tormenta bellica ad dexteram Visurgis ripam collegisse. Tum is novit, quantum ad completam victoriam conduceret celerrime progredi; idque statim perfecit, atque omnia etiam bellica tormenta apud exercitum protinus agi jussit, flumen ad Stolznaum trajecit; eaque ratione Britannicum exercitum illius provinciae Metropolis commeatu prohibuit. Gallis maxime properantibus illius regionis Populique Legati obviam iverunt, qui intervallum aliquod ad deditionem paciscendam postularunt. Negatum id est, nec quidquam se illis concessurum ait Mortierus, nisi prius integram provin-

ciam occupasset. Tum Hannoverae Legati conventionem subscripsere, qua illius provinciae Metropolis, & maxima regionis pars, urbes, oppida Gallis tradita fuerunt. Istius deditionis tabulae Lutetiam, ac Londinum ad illius confirmationem obtinendam fuere missae. At Anglorum Rege ipsam confirmare detrectante, Mortierus statim ad hostilis exercitus terga ac latera petenda processit. Decimo septimo kalendas Quintiles consertae sunt manus: atque in ea pugna plusquam dimidium Britannici exercitus, tria & quadraginta bellica tormenta, quatuormillia septingenti equi, immensa tentoriorum & impedimentorum moles in Gallorum potestatem venit. Illius reliquiae fuga salutem quaesiere, &, Albi celerrime trajecto, in Borussiae regnum secessere. Omnibus eo modo sublatis impedimentis, suas copias quammaxime dilatavit Mortierus, & Cuxavio potitus est, in cujus portum Angli omnes ipsorum merces advehebant, ac deinde per universam Germaniam diffundebant. Ea re valde commoti Britanni permultis maximisque navibus Vesurgis & Albis ostia omni commeatu interdixerunt.

Caput XVI.

Napoleo *in Occidentales Galliae & Belgii oras se confert.*

Bello ita in dies effervescente, plurimas Napoleo copias misit in provincias, quae solis occasum & septemtriones rescipiunt, duplicemque tormentorum seriem ad quamlibet Britannorum aggressionem repellendam adjecit, atque idibus Quintilibus ipse Lutetia profectus est, ut ea littora ipsorumque munitiones inspiceret. Vix Gessoriacum advenit decimo sexto kalendas Sextiles quarta vigilia, paucis sui exercitus Ducibus comitantibus, portum inspexit, nonnullosque ejus rei inscios nautas est allocutus, omnes munitiones invisit, ludicram navalem pugnam jussit, praesidium inspexit, atque acre praelium inter nonnullas Britannicas Gallicasque naves vidit: iter deinde Ambletosam, & Dunquercam prosecutus est. Vix eo pervenit, e Gratiae portu advenientem Gallicanam classem visit: ac tunc fausto omini a Gallis acceptum est, quod, cum terram ad Napoleonis casam collocandam effoderent, vetustissima reperta est securis, quae ad Romanorum exercitum pertinuisse fuit existimata, cum primum, Caesare duce, Britannica expeditio facta est. Numismata etiam Ambletosae reperta sunt Guillelmi Normannorum Ducis, qui anno millesimo sexagesimo no-

no Britanniam occupavit. Eaque tanto magis mirabilia omnibus visa sunt, cum idem Napoleo celebris olim apud Aegyptios urbis Pelusii rudera inspiciens anaglyptum Augusti imaginem praeseferens invenit. Nihil ille, quod ad virtutem remunerandam, animum militibus adjiciendum, rem omnem optime gerendam conduceret, omisit; itaut eo itinere ac rebus in illo sapientissime gestis universae prope Galliae salus & gloria, aut constituta plane fuerit, aut mirifice confirmata.

Promptuaria omnia, officinae, navalia, quibus noctu diuque bellicae naves construebantur, ab eo diligenter inspecta sunt; ac opificum nautarumque assiduitas, alacritas, & vehemens in patriam studium collaudatum fuit: omnia demum ita disposita, ut Angli promptam Gallorum in suas oras expeditionem maxime pertimuerint. Id ut ipsi quolibet pacto impedirent, Gessoriacum bellicis tormentis oppugnare coeperunt. Magno eam urbem satis claram, vicinasque oras & vicos damno illi affecere: at eorum impetum Monnetus sub ipsius prope Napoleonis oculis repressit. Hic, praelio effervescente, per oras omnes, munitiones, castella percurrit, tormenta in hostes direxit, igneosque globos in eos conjecit; nihil demum omisit, quod ad hostes fugandos conduceret. Alteri etiam navali certamini ille adfuit quinto kalendas Octobres, cum Britannorum Classis Gallicanam prope Icium portum aggressa est. At

Galli, Napoleone spectante, & animum vimque illis adjiciente, adeo vehementer hostes repulere, ut hi vento secundo in patriam maximo cursu remearint: ac, dissipato periculo, Napoleo etiam domum reversus fuerit.

Caput XVII.

Nefaria in Napoleonem *conspiratio mirifice detegitur, ac praepeditur.*

Decimo tertio kalendas Martias maximi Praetoris litterae ad Populi Tribunos allatae fuerunt, quibus renuntiatum est, nefaria conjuratione scelestos homines in publicam salutem ejusque tutelare Numen conjurasse, *eos tamen jam prope convictos in carcerem dejectos, ac pene condemnatos esse; Georgeum Septemtrionalis rebellionis auctorem, Pichegruum jam per Gallos proscriptum atque exulem, Moreaum ambitione obcoecatum societatem opprimendae patriae iniisse: Laiollaisium Gallorum exercituum Ducem conjuratorum consilia Lutetia Londinum, ac Londino Lutetiam clanculum passimque referre; proximam jam esse seditionem, atque eodem tempore hostilem, Deppam inter ac Dieportum, incursionem imminere, quo perditi homines jam pervenerant, & ubi eorum scelerum socii mercede conducti noctu ipsos excipiebant, passimque noctu Lutetiam usque ducebant: nihil inde timendum, cum conjurati omnes appre-*

hensi essent, omnes in carcerem conjecti; boni tamen cives cuncti, exercitus omnes, eorumque Duces qualibet essent suspicione immunes.

Hac irrita effecta conjuratione, Magistratus omnes, Civitates, Municipia, Exercitus, Classes gratulatum ad NAPOLEONEM Legatos miserunt, quod ipsius ejusque administrorum sedulitate salus patriae servata esset atque confirmata; atque illis omnibus is magno animo ac summa virtute respondit, *se in maximis praeliis, externis internisque conspirationibus saepe versatum nihil minus quam suae vitae periculum timuisse: nihilominus se patriae ac suorum civium discrimine valde esse commotum, in quod illi procul dubio perducti essent, nisi ipsius ejusque administrorum diligentia scelestorum hominum consilia opportune perspecta atque anteversa fuissent: nihil autem ex iis aut aliis quibuscumque perditorum hominum insidiis bonos cives debere pertimescere: cum diuturna experientia is nosceret, supremum Numen Gallicani Imperii saluti ac gloriae praeesse, quo adjuvante neque is, antequam Patria solide constitueretur, periturus esset, neque cujusquam conatus in ipsum forent valituri: sui Populi amorem ac fiduciam, qua nihil ei certius esset, longe prae ipsa anima se charam habere.*

Re ad quaesitores delata, Georgeus, Angiae Dinastes, aliique conjurationis principes capite damnati sunt, Moreaus rebus per ipsum antea praeclare

gestis ac NAPOLEONIS clementia, aliique plures vita donati, & in Gujanis Americae oris relegati sunt: Pichegruus suorum criminum conscientia ac desperatione actus se ipsum interemit.

CAPUT XVIII.

NAPOLEO *Gallorum Imperator renunciatur.*

Tot tantaeque Gallicanae Reipublicae vices, tot pericula, quae ab illa unius ferme NAPOLEONIS ope depulsa fuerant, adeo incredibilia ab eo tam brevi spatio gesta facinora ad salutem patriae, imperium, gloriam parandam, confirmandam, augendam, omnium animos & vota ad perpetuum in eum ejusque familiam imperium conferendum impulerunt. Complures in id Civitates Legatos Lutetiam miserant: palam id ab omnibus expetebatur; ac praedicabatur id unum ad patriae salutem & gloriam confirmandam desiderari. Senatus, Tribuni plebis, Quingenti viri legibus ferendis, omnes denique Magistratus atque Ordines, Populus universus, ea necessitate perspecta, decimo septimo kalendas Junias anni millesimi octingentesimi quarti NAPOLEONEM GALLORUM IMPERATOREM renunciarunt eo Senatus consulto, quod a caeteris cunctis non tam probatum, quam summo plausu exceptum est, & quo jussum fuit, *Imperium penes* NAPOLEONEM, *ejusque mares posteros perpetuum ita futurum, ut natu majores sem-*

per illud tenerent, faeminae earumque liberi ipso perpetuo excluderentur: venia ei data fratrum filios aut nepotes adoptandi, qui tamen liberis deinde Napoleoni *adnatis essent in Imperio posthabendi: post* Napoleonem *ejusque liberos in* Josephum *illius fratrem, post hunc in* Ludovicum *alterum fratrem eorumque posteros eodem ordine Imperium deferretur*. Tum alia complura pro Imperialis familiae ac ipsius etiam Imperatoris, si quando minor aetate is futurus esset, regimine, atque ad Populi in primis saluti otioque consulendum, sapientissime fuere constituta.

Novi hujus Imperii exordium nonnisi ex magnanimitate & clementia duxit Napoleo, qua poenas per leges & Magistratus eis, qui in ipsum conjurarant, inflictas remisit: tum ad alia perutilia instituta processit; in iisque pridie idus Quintiles anni millesimi octingentesimi quarti equestrem Ordinem instituit, quem *Honoris Legionem* nuncupavit, & quo viros rebus pro patria gestis claros decorari jussit. Sollemne in id festum illo die fuit celebratum, omnesque, Imperatore praeeunte, sese sacramenti religione devinxerunt ad Leges, Imperium, bonorum possessiones, ac civium jura libertatemque armis protuendam.

Caput XIX.

Conspicuis muneribus sublimioris ingenii viri per Napoleonem *donantur*.

Ut Gallicanae gentis famam in optimarum disciplinarum cultura, qua jamdiu principem ipsa locum inter alias nationes obtinebat, confirmaret augeretque Napoleo, ut mox coeptum saeculum prioribus longe majus & clarius undique redderet, ut debitum virtuti praemium statueret, ut ad illam maximo studio amplectendam assequendamque animos cuique adjiceret, ut clarissimos eruditissimosque viros & agnosceret ipse, & remuneraretur, magna is praemia singulis decenniis idibus Novembribus se illis distributurum edixit, qui eo tempore opus aliquod bonis artibus ac disciplinis praeclarum edidissent, aut novum aliquod inventum agricolationi industriaeve adjuvandae vel augendae utile excogitassent. Primam distributionem idibus Novembribus anni millesimi octingentesimi decimi statuit faciendam, in eamque, sicut & in posteriores distributiones, novem majora decem mille libellis constantia praemia decrevit, ac tredecim minora, quae nempe singula quinque libellarum millium summam attingerent.

Duo prima ex majoribus praemiis attributa sunt iis, qui optimos in Physicis ac Mathematicis li-

bros edidissent : tertium eruditissimo veteris aut recentis historiae scriptori; quartum machinae artium, & opificiorum usui utilissimae inventori: quintum ei, qui ad agricolationem industriamve juvandam augendamque aliquid excogitasset: sextum fabulae optimae, sive comicae, sive tragicae auctori, quae in Gallicanis theatris acta fuisset; septimum & octavum illis, qui aut pictura aut sculptura quidpiam, quod ad Gallicanam Nationem pertineret, optime expressissent: nonum denique illi, qui musicum opus confecisset, quod in Academiae Imperialis theatro omnium plausu prae caeteris merito exceptum esset.

Ex minoribus praemiis decem illis adscripta fuere, qui decem libros artibus, historiae, bonisque litteris perutiles in Lutetiae bibliothecis asservatos ex orientali quopiam idiomate in nostratem linguam vertissent; ac tria ultima illis, qui minora poemata de rebus per Gallos gestis eorumque laudibus exscripsissent. Ea praemia se peritissimorum hominum judicio collaturum pollicitus est Imperator.

Caput XX.

Summus Pontifex ad Imperiali Diademate Napoleonis frontem exornandam Lutetiam proficiscitur.

Ut Stephanus tertius Romanus Pontifex quinto kalendas Sextiles anni septingentesimi quinquagesimi quinti Pipino Gallorum Regi, ejusque filiis Karolo Magno & Karlomanno regale diadema in divi Dionysii oppido imposuerat; ut octavo kalendas Januarias anni octingentesimi primi idem Karolus Magnus, Leone tertio Pontifice Maximo sacras caeremonias adjiciente, Imperialem sibi dignitatem Paterburnae assumpserat; ut anno octingentesimo decimo sexto Stephanus quartus Ludovicum Pium Karoli Magni filium, atque Ermenegardam ejus uxorem Durocorti Remorum coronarat; ut anno octingentesimo septuagesimo octavo Joannes octavus, Imperiali diademate Ludovico secundo Gallorum Regi jam per Inemarum Remorum Antistitem imposito, eadem in urbe eum sacrum ritum renovavit; sic Napoleo suum Imperium sacris etiam caeremoniis decorari voluit. Ea de re litteras Pio Septimo Pontifici Maximo exscripsit, quibus perlectis, statim is, Cardinalium Senatu advocato, quarto kalendas Novembres anni millesimi octingentesimi quarti se illi morem gerere, ac Lutetiam versus iter sine mora

suscipere velle professus est: *cum adeo insignia essent tanti Principis in Christianam Religionem ejusque administros merita*, ut ipse ait Pontifex, *quam is depressam ac prope in Gallia extinctam restituerat, optimisque legibus sapientissimisque consiliis confirmarat, propagarat, ac in posterum etiam non minus eam sibi cordi futuram edixerat; cumque hoc ipsum ejus desiderium religioso cultu Imperialem dignitatem ornandi atque augendi, complura demum in Christianam Religionem ejusque asseclas atque administros per eum conferenda beneficia, de quibus ipse cum illo colloqui vellet, id itineris statim suscipiendum atque* IMPERATORIS *voluntati obsequendum suaderent*.

Quarto igitur nonas Novembres summus Pontifex Roma profectus est, sex Cardinalibus, compluribus Praesulibus, aliisque familiaribus comitantibus, ac Florentia, Parma, Placentia, Augusta Taurinorum in Galliam processit, & decimo tertio kalendas Decembres Lugdunum advenit, ubi a Cardinali FESCHIO IMPERATORIS Avunculo illius Civitatis Antistite fuit magnificentissime exceptus. Mane diei septimi kalendas Decembres ad Fontem Bellaqueum, quo IMPERATOR ei obviam ierat, Pontifex pervenit; atque in Imperialibus illius oppidi aedibus ipsa ejus uxor JOSEPHINA TAGHERA (quam post primi illius viri Beauharnoi inter Gallos nobilissimi mortem is duxerat) & maxima Principum virorum manus, quae ipsum

inibi praestolabatur, comitate summa ac pietate eum fuit prosecuta. Quarto kalendas Decembres prima vigilia, facibus undique Lutetia illucescentibus, inter omnium plausus IMPERATOR & Pontifex illam in urbem ingressi sunt, ac in Thuillerianis aedibus sese receperunt. Quarto Nonas Decembres sacra caeremonia in primo Lutetiae templo Divae Mariae dicato confecta est tanta pompa & magnificentia, ut alia nulla, quae ei ei quodammodo assimilari possit, post hominum memoriam facta fuerit.

CAPUT XXI.

NAPOLEO *primus Gallorum Imperator Rex Italiae renuntiatur.*

Gallorum exemplum imitata brevi est Italica Respublica, cujus supremum Consilium Lutetiam migravit, ac decimo quinto kalendas Majas anni millesimi octingentesimi quinti decrevit, NAPOLEONEM *illius Reipublicae institutorem ipsius Regem esse oportere; istud regnum haereditarium fore apud mares ejus posteros aut legitimos aut adoptivos, foeminis semper earumque liberis exclusis; Italiae Regnum a Gallorum Imperio semper,* NAPOLEONE *dempto, esse sejungendum: hunc, donec hostiles copiae bellum Italiae minitarentur, Italico Regno praefuturum; preces* NAPOLEONI *porrigendas, ut hic se Mediolanum ad coronam sollemniter suscipien-*

dam, solidamque & prudentiae ac consilii plenam Constitutionem Italis de more praebendam sese conferret.

Ea re idibus Martiis IMPERATORI nuntiata, *id semper unum sibi maxime cordi fuisse,* ipse respondit, *ut Italorum felicitati otioque is vehementissime consuleret; id se, cum primum ex alpibus descendisset, effecisse; id compluribus victoriis confirmasse; id potissimum ex Aegypti etiam remotissimis regionibus atque ex Nili oris in animo habuisse; id demum, cum iterum in Italiam progressus esset, se maxime curasse, Italos hostium incursu liberasse, pristinamque iis libertatem reddidisse: libenter igitur se oblatum Italici Regni sceptrum accipere, ut susceptum opus ad exitum perduceret; seque tamdiu illud retenturum, quamdiu Populi salus ab hostium conspiratione vindicaretur; ac, procellis abactis, sese regno abdicaturum, & eum sibi successorem designaturum, qui coeptum opus perficeret, & paratam Italis felicitatem confirmaret.*

Caput XXII.

Imperator *cum Conjuge Italiae inter capessit*; *atque Italiae Rex Mediolani coronatur*.

Sub Martii finem magno comitatu Napoleo, & Josephina conjux Lutetia proficiscuntur, ad fontem Bellaqueum pergunt, inibique ad diem usque quartum nonas Apriles commorantur; ac deinde Lugduno & Augusta Taurinorum Mediolanum magno plausu & omnium acclamationibus adveniunt octavo idus Majas anni millesimi octingentesimi quinti. Complura is statim pro illius regni optimo regimine sapientissime constituit, virosque praestantissimos supremis magistratibus decoravit. Septimo kalendas Junias in primo Mediolani templo sacro ritu Napoleo Rex Italiae coronatus est, opportunas caeremonias adhibente Cardinali Caprara Mediolanensium Antistite, & Summi Pontificis ad Imperatorem Legato. Tum Napoleo suis manibus ferreum sibi imposuit diadema, memorandum illud proferens dictum: *Hoc a Numine accepi*; *vae ei, qui illud attigerit*: qua sane nulla unquam vaticinatio verior fuit. Tum Equestrem Ordinem Ferrei Diadematis instituit, atque in illum viros clarissimos ac de se patriaque optime meritos cooptavit; demum omnes Regni partes, urbes omnes ac regiones invisit, optimasque leges pro eorum Populorum salute, otio, felicitate promulgavit.

Caput XXIII.

Liguria Gallicano Imperio adjicitur : oratio ea occasione per Imperatorem *pronunciatur : Lucae regimen immutatur .*

Ab anno usque millesimo octingentesimo tertio Subalpini Populi eorumque regio Gallorum Imperio adjecta fuerat . Illa etiam cupido Ligurum animis insedit, quorum Senatus octavo kalendas Junias anni millesimi octingentesimi quinti decrevit, *petendum ab* Imperatore *esse, ut Liguria quoque Gallicano Imperio adjiceretur , territorii atque aeris alieni, quo ea Respublica premebatur, integritate incolumi, Genuae portus illiusque commercii servata libertate, vectigalibus pro agrorum sterilitate imminutis , portoriis inter Gallos & Ligures plane sublatis , militiae delectu ad marinos tantummodo coercito, contributionibus ita decretis, ut Ligurum industriam non modo non impedirent , verum imo excitarent , civilibus omnibus & criminalibus judiciis ita constitutis, ut ultimum Genuae, aut in viciniore altera Civitate exitum haberent, demum publicorum bonorum emptoribus in sua possessione confirmatis.*

Ea re per Ligures Legatos statim Imperatori nunciata, illos benigne ipse excepit, *a Britannorum & barbarorum impetu atque insidiis eos se defensurum , ac brevi ipsos invisurum* promisit, *ut eo-*

rum necessitatibus propius consuleret: nihil se demum omissurum, quod ad ipsos felices reddendos, & Gallicanae gloriae victoriarumque fructum cùm eis communicandum conferret, qui a primo Gallorum in Italiam adventu tanta comitate atque hospitalitate ipsos excepissent. Et re quidem vera pridie kalendas Sextiles Napoleo cum Josephina conjuge Genuam advenit; illius Civitatis ac regionis universae sollemniter potitus est: iterum se nihil magis cordi habere professus fuit, quam illius Populi felicitatem: multa in id optime & sapientissime decrevit: ac statim Lutetiam, gravioribus urgentibus, rediit; ut nempe Britannorum audaciam, maximo exercitu coacto, & in illorum oras immisso, penitus retunderet.

Eodem tempore Lucensis Reipublicae regimen Felici Paschali Baciocco Napoleonis leviro, Elisaeque hujus sorori, atque eorum liberis traditum est ea lege, *ut is munera omnia & magistratus conferret, isque unus negotia cum exteris Nationibus ageret, annuis quadringentis libellarum millibus, ac duabus aedibus, altera urbana, altera rustica ditaretur, juris jurandi religione se devincire deberet ad id solum prae oculis habendum, quod publica salus & commoda postularent*. Atque alia complura tunc sapientissime sunt constituta, quae ad Populi illius felicitatem maxime conferrent.

Caput XXIV.

Novum a Germanorum Imperatore in Gallos bellum paratur.

Haec animo haud aequo videns Germanorum Imperator magnam armatorum vim misit Tirolim, ac Veronam versus, Mediolano suum Legatum revocavit, & vix ineunte mense Septembri anni millesimi octingentesimi quinti militibus septuaginta millibus conflatum exercitum in Vindelicorum fines immisit, eorum territorium integre occupavit, ac per Sueviam ad Rhenum usque properavit. De his omnibus ad Napoleonem in Septemtrionalibus Galliae oris, Belgiique portubus sedulam Britannicae expeditioni operam dantem nuncio perlato, is a coeptis statim destitit, ac Lutetiam advolavit, ubi, Senatu habito, Talleyrandus exterorum negociorum administer multa ea de re questus est, aitque, *nihil magis cordi Gallorum* Imperatori *semper fuisse, quam ut suis triumphis pacem Europae Populis pararet atque confirmaret*; *id illum Lunaevillarum & Ambiani pace praesertim curasse, quam tamen Galliae hostium livor brevi perfregisset*; *notas ei dudum esse tricas, quibus Londini atque in Flavianis castris tituli ad pacem turbandam, ejus leges violandas, bellum aperte resuscitandum jamdiu quaeritarentur: non modo ipsum de iis nunquam fuisse conquestum, ne*

occasio inde belli movendi iterum arriperetur, verum imo iis, quae Germanorum Imperator ad metum omnem de ejus animo abigendum postulasset, ipsum assensisse: nihilominus magnos belli apparatur ab eodem Germanorum Imperatore esse factos, exercitus conflatos, maximam copiarum vim, machinas, tormenta, instrumenta bellica ad Gallorum Sociorumque fines admota, nihil denique omissum, quod proximam validissimamque aggressionem minitaretur; ea de re graviter conquestum esse Gallorum Imperatorem*, qui bis Germanorum Imperatore devicto omnibusque ejus exercitibus profligatis, sceptrum, quod jure belli ei ademerat, splendidius ipsi reddidisset; at eum fuisse querelarum fructum, ut statim Germani exercitus undequaque suis castris & finibus erupissent, Gallorum, ac Sociorum provincias invasissent: eam aggressionem ipsum* Imperatorem *repulsurum, neque antea arma positurum, quam Sociorum provinciae liberatae, ac dignae de sontibus aggressoribusque poenae sumptae forent.*

CAPUT XXV.

Imperator ad exercitum properans Senatum alloquitur; Argentoratum advenit. Bellum in Italia ipsius jussu Germanorum Imperatori indicitur.

Talleyrandi oratione absoluta, IMPERATOR throno assurgens talibus Senatores, Tribunos Plebis, Legum Latores, qui omnes eum in locum convenerant, est allocutus. *Ex prima hac Imperii urbe brevi discessurus, & ad exercitum in patriae hostes ducendum quantocyus profecturus mea vota & consilia vobis pandenda censeo. Germanorum Imperator, quem bis throno dejeci, bis in thronum splendidiorem restitui, tertio Britannorum artibus se decipi, tertio Gallicanae virtutis periculum statuit subire. Paucis ante diebus reconciliandae confirmandaeque pacis spe nondum decideram, cum improviso allatus est nuncius, illius copias, Inno transmisso, Monachium occupasse, ac Vindelicorum Principem nostrum socium nihil tale cogitantem e paternis laribus dejecisse. Id me summopere commovit; id implacabile perpetuorum Continentis hostium odium ostendit, qui potius eorum amicum & socium Germanorum Imperatorem perdere, quam nos pacis fructu aliquandiu perfrui siverunt. Nihil me aliud hac in re magis movet, quam humanitatis studium; cum funestissimos belli effectus humano*

generi, atque in primis hostibus, licet eos merentibus, fore prospiciam. Quod autem me vehementer solatur, est Gallicani nominis splendor & gloria, cui maximum ex novis hisce quamvis praecipitibus consiliis atque conatibus, decus est accessurum.

Cum plenis vestrum Populique suffragiis Imperiale sceptrum suscepi, tum pollicitus sum, Patres Conscripti, me illud omni labe ac dedecore immune servaturum. Id certe, cum cives ad exercitum volitarint, atque hic validissimis copiis instructus Imperii fines fuerit praetergressus, assequar. Magistratus, Milites, Cives, Britannorum servitutem certe non patiemur; qui si per se ipsos, aut per Socios unquam nos vicerint, haud certe pacem nisi ignominiae ac dedecoris plenam nobis concesserint: cujus praecipuae leges in nostris comburendis classibus, portubus excidendis, commercio atque industria plane evertenda versarentur. Quidquid Gallicano Populo spopondi, diligenter praestiti; nec Galli quidpiam gerendum susceperunt, quod summa constantia, virtute, felicitate ad finem non perduxerint. Dum ipsorum nostrumque decus magnos conatus ad tot victoriarum fructum servandum atque confirmandum requirit, nihil dubii est, quin prosecuturi ii sint MAGNAE NATIONIS *nomen mereri, quo eos in ipsis praeliis, & profligatorum hostium castris saepe salutavi.* GALLI, *vester* IMPERATOR *suo muneri certe non deerit, ac vos vestro non defuturos certissime confidit.*

Hisce dictis, Lutetia statim profectus est IMPERATOR, ac magnis itineribus Argentoratum sexto nonas Octobres pervenit, ubi exercitum eas regiones tenentem invisit. Eodem tempore EUGENIUS NAPOLEONIS privignus illius vices apud Italos gerens exercitui Gallicano in Italia moranti edixit, *invitum* IMPERATOREM *in illud bellum esse pertractum; nihil ipsum omisisse, ad pacem obtinendam, & ad belli pestem amovendam, sed cum jam hostili aggressione Vindelicorum Princeps Gallorum socius, atque ipsum Italiae regnum esset appetitum, Moschorum exercitus hostium auxilio acciti properarent, nulli jam amplius remedio locum esse, quam ut vis vi repelleretur*: IMPERATOREM *in Germania, ipsum in Italia Gallos ad victoriam statim perducturum; nihil iis, nihil Italiae esse timendum: brevi nullos futuros hostes, qui Gallis atque Italis bellum inferre possent.*

CAPUT XXVI.

Plura Gallorum agmina Rhenum transmittunt; illorum dispositio.

Complures & clarissimi Gallorum Duces ipsorum copias ad Rhenum habebant, cum NAPOLEONIS jussu omnes eum fluvium transmittere atque hostes aggredi properarunt.

Marmontus primus suam Legionem decimo kalendas Octobres anni millesimi octingentesimi

quinti trans Rhenum per Cassellae pontem trajecit, ac Herbipolim satis claram Franciae Civitatem versus iter suscepit. Ibi suam Legionem Bernardotti exercitui adjunxit; cum hic suas jam copias Hannovera Gottingam eduxisset, ac Helenopolis via non modo eamdem Marmonti Legionem, sed Vindelicorum etiam agmen nactus esset.

Davoustius ad Manhemium septimo kalendas Octobres Rhenum transmisit, atque Haidelbergam Nicerum versus migravit.

Eodem die Soultii copiae illud flumen, jacto ad Neomagum ponte, trajecerunt, ac Fontem Salubrem occuparunt.

Neyi copiae eo die flumen ipsum ponte e Durlaci conspectu jacto transgressae sunt, & Stugartiam petiere.

Pridie ejus diei Lannius cum exercitu ad Kelum transierat, ac ad Ludoviciam urbem sese contulerat.

Joachim Muratus eo loco eodemque die suum equitatum transduxerat, ac pluribus diebus exteriores Martianae Sylvae meatus occuparat. Ipsius exploratores se se hostibus pluries invisendos praebuere, atque hi eo loco ulterius illum progredi velle censuerunt. Interim maxima instrumentorum, tormentorumque bellicorum vis transvecta fuit, ac tertio kalendas Octobres ad Fontem Salubrem asportata.

Eo Imperator etiam tunc transiit, ubi illa no-

cte conquievit, atque cum Thermarum inferiorum Regulo est collocutus. Ad Ludoviciam deinde urbem migravit, atque a Virtembergae Regulo in suis aedibus fuit magnifice exceptus.

Kalendis Octobribus Bernardotti, Marmontique exercitus, & auxiliares Vindelicorum copiae Danubium versus iter suscepere.

Davousti exercitus Nicerum deseruit, ac Meckmuhlium, Ingeffingam, Creilsheimium, Dunkeisoulium, Frebelingam, Ottingam, Haspurgum, & Danubii Insulam versus iter suscepit. Soultius ad Fontem Salubrem processit via Ochringae, Hallae Sueviae, Gaildorfii, Abstgmundii, Aalae, atque Ararum Flaviarum.

Neyus Stugartia Heslingam, Goppingam, Veissenstam Heydeneimium, Nelseimium, ad Aras denique Flavias & ipse progressus est.

Lannius e Ludovicia profectus est urbe, & Grosbeutelspachii, Pluderschausae, Gnundii, Aalae via ad easdem Aras Flavias pervenit.

Pridie nonas Octobres haec erat Gallicarum copiarum positio. Bernardotti, & Vindelicorum exercitus Vissemburgum tenebat. Davoustius Ottingam urbem, & Reinitzium fluvium tuebatur, Soultius Danubii Insula, Monasteriique ponte potiebatur; & pontem in eadem Danubii Insula ad hunc fluvium instaurabat; Neyus Koosingam, Lannius Neresheimium occupabat; ac Joachim Muratus suo equitatu Danubii ripas propugnabat.

Germani ad Sylvae nigrae fauces progressi fuerant, Illerio, Ulma, Meminga quam citissime munitis. Ii Gallorum celeritate valde commoti sunt, qui mirum in modum eodem tempore ad Vindeliciam usque processerant, nigris etiam montibus atque amnibus in Danubium confluentibus declinatis, adversariorumque progressibus magno cursu ac summo impetu superatis.

Nonis Octobribus fausto omine primum consertae sunt manus, cum Vualterius Gallorum Dux ad Lyciam properavit, eoque biscentis quartae cohortis equitibus transmissis, hostes numero duplo majores fugavit, ac pontem occupavit. Eodem mane Beaumontus, & Klainus, Nausouroyo Duce, ipsorum copias eduxerunt, atque Augustae Vindelicorum viam intersecandam curarunt. Statim ac ii Vertingam pervenere, Germanorum Legionem nacti sunt, quam tamen Joachim Muratus statim circumdedit. Lannius, qui illum sequebatur, opportune advenit ac Legionorem Gallicanam Audinoto Duce secum adduxit, quae praelio commisso totam illam, Germanum Legionem in suam redegit potestatem. Duodecim illa antesignanorum cohortibus, magno bellicorum instrumentorum, ac tormentorum apparatu constabat: quibus omnibus victores Galli statim potiti sunt.

CAPUT XXVII.

Vindelicos NAPOLEO *Imperator alloquitur. Deroyus ipsorum Dux eos ad bellum strenue gerendum hortatur.*

NAPOLEO, instructis recognitisque Gallorum ac Vindelicorum copiis, ita ipsas laudavit, eisque animos adjecit: *Vindelici, ad vestrum Principem, ad vestros agros ac provincias tuendas hoc bellum suscepi, exercitus comparavi, huc usque egomet ipse processi: nihil vobis, Gallis comitantibus, me Duce, timendum. Si hisce auxiliis destituti a nemine subacti vos hactenus fuistis, quid vobis Gallorum sociis non sperandum? Vestram dudum novi in vestrum Principem fidem; victoriae a vobis de vestris hostibus relatae mihi aeque perspectae sunt. Quid ergo aliud curandum, quam ut una cum Gallis in communes hostes pari honore, pari glorias, pari virtute, communi fructu pugnetis?*

Eodem tempore Deroyus Vindelicorum Dux ita illos est allocutus: *Vestro nunc, milites, animo opus est patriae; vestra opus est virtute. Dum nostrum Princeps nihil tale cogitabat, Germanorum copiae integrum pene nostrum territorium invasere. Nihil vos inde pertimuistis; atque imo hostium acies penetrastis, ac vestrum Principem summo honore ac maxima virtute secuti estis. Ne igitur sinatis injurias vobis ac vestro Principi illatas inul-*

tas remanere. Magnus Napoleo, *maxima illius copiarum vis pro vobis & vobiscum pugnat; belli justitia, & necessitas pro vobis stat & Supremi Numinis praesidium implorat. Nihil ergo aliud ut plenam de hostibus victoriam referamus superest, quam ut vestra virtus, & maxima in illo fiducia, labor, consueta assiduitas minime desit. Hisce obtentis, nihil aliud, quam certissimam prae manibus victoriam tenere debemus.*

Caput XXVIII.

Guntiae pugna: Albeckii, & Eclingae praelia: Ulma, ac Meminga a Gallis capitur.

Sex Vittembergensium millia Vindelicorum vestigiis institerunt; & quatuor mille milites ex Thermarum inferiorum regionibus delecti Gallorum exercitum secuti sunt.

Postridie quam memoratam ad Vertingam victoriam Galli retulerant (cujus victoriae fructum septem captivorum millia, in iisque illorum Ducem Hohenzollernium esse rescitum fuit) altera ad Guntiam commissa est pugna, qua cominus Galli cum Germanis praeliati sunt. Neyus Loisonii Legionem ad Languenaviam progredi jusserat, atque ad ipsius Guntiae terga procedere. Lacucius suam Cohortem ducens a Germanis fuit interfectus; sed illa ponte, & bellicis tormentis, quibus hi pontem ipsum tuebantur, brevi potita est, ac

loca omnia sua natura atque arte munitissima, quae ii tenebant, occuparunt, dum hostes ter illos repellere frustra conati sunt. Praecipitem ergo fugam Germani arripere fuerunt coacti: secus enim MURATI equitatus ad Burgoviam omni illos a reliquo exercitu communione ea nocte interclusisset. IMPERATOR, qui illi adfuit praelio, inter Neyi & Lannii copias nocte, quae est ante diem sextum idus Octobres, cursitavit.

Plus quam bismille Germanorum militum interfectum, ac mille & biscenti ex ipsis ea pugna capti sunt; atque inter hos Aspresius etiam illorum Dux recenseri debet. Gallorum jactura quingentos milites haud excessit. Illius victoriae fructus fuit Augustae Vindelicorum deditio, quo IMPERATOR sexto idus Octobres se contulit, atque ubi ille cum toto ipsius comitatu a Viro Saxonum Principe, & Augustae Trevirorum Antistite magnifice exceptus fuit.

Post eam victoriam Soultius statim suum exercitum Landsbergam eduxit; eoque modo potissimum hostibus aditum interclusit. Quinto idus Octobres, quarta hora pomeridiana cum loricatorum equitum cohortem, Ferdinando Austriaco Duce, is nactus esset, qui maximo cursu viginti bellica tormenta Ulmam advehebant, vicesimam sextam equitum levis armaturae cohortem illos aggredi jussit; idque tanta virtute perfecit, ut hostes statim fugaverit, centum & viginti ex

ipsis ceperit, atque in iis Tribunum militum, Centuriones duos, tres Primipilos. Susceptum deinceps iter Memingam versus ille est prosecutus.

Bernardottus eo tempore e Franciae regionibus Monachium properabat, plures Germanorum commeatus, centum, & quinquaginta milites capiebat.

Davoustius, cum Bahaum pervenisset, ac prima agmina Monachium usque diffudisset, horum ope Blanchesteinianum equitatum fugavit, ac sexaginta ex illo equites captivos abduxit.

Muratus suo equitatu, & Neyi ac Lannii peditibus Ulmam sinistro, Memingam dextero cornu petiit. Neyus utramque Danubii ripam e fronte Ulmae occupavit. Marmontus maximis itineribus Illerhseimi colles cepit. Ad eas quoque regiones Imperator ipse statim advolavit, atque gravissima licet procella, nivis copia, frigoris vi, ac lutulento solo obsistente, suas omnes, quas nactus est, copias singillatim recognovit. Tum laetus ei nuncius advenit, Bernardottum Monachium quarto idus Octobres occupasse, atque octingentos ea in urbe hostes cepisse.

Vertingae, & Guntiae pugnis aliae non minus graves successerunt, Albeckii scilicet, atque Eclingae praelia, & Ulmae, ac Memingae deditio. Soultius tertio idus Octobres ad postremam hanc urbem pervenit, eam sepsit, deditionem militibus illam tenentibus indixit. Iis territus Germanorum

Dux arcem atque urbem, ac sese cum septem cohortibus, quae septem militum millibus constabant, earumque Ducibus, decem bellicis tormentis, ac maxima instrumenti militaris copia Gallis dedidit. Quinto idus Octobres Germani, qui prope Ulmam castra posuerant, Dupontii Legionem ad Albechium petiere. Atroci illa atque obstinatissima pugna Galli, quorum numerus sex militum millia vix attingebat, at viginti prope Germanorum millibus circumdabatur, horum impetum semper repulerunt, mille ac quingentos ex ipsis captivos abduxerunt.

Insequentis diei aurora adveniente, Loisonii Legio Eclingae ponte potita fuit. Germani magno impetu summaque vi illi obstiterunt: at Neyus ea prudentia consilioque rem gessit, ut post trium horarum pugnam tria hostium millia, illorum Dux, ipsorumque castra in illius venerint potestatem. Tum Lannius collibus Phocli pago imminentibus insiluit. Gallorum velites, maximo irruente imbre, ventis ac coeno obsistente, Ulmae pontem occuparunt: Marmontus, Baraguieus Hilliersius, Muratus Unterchirckae, & Ypergraeciae pontibus sunt potiti, omnemque hosti communicationem ad Illerium interceperunt. Post haec omnes Gallicarum copiarum Duces Ulmam obsedere, maximamque in obsessos consternationem conjecere. Universus Germanorum exercitus, Mackio Duce, eo se receperat; illiusque copias trigin-

ta prope militum millium numerum attingere inter omnes constabat.

Mackius desperatum prope cepit consilium, curandi nempe, ut omnes illae Germanorum copiae variis itineribus partim Tirolim, partim Bohemum versus, partim alio fugerent ac divergerent. Napoleo interim sexto idus Octobres Augusta Vindelicorum Ulmam accurrerat, atque Eclingae pontem occuparat. Ferdinandus Francisci Germanorum Imperatoris patruelis, quater mille equitibus comitantibus, transmisso Danubio, Egra potitus fuerat, licet magnam suorum partem, integrumque commeatum atque impedimenta in itinere amisissst. Tunc Napoleo vi Ulmam expugnare potuisset; at ad caedem vitandam humanoque sanguini, quantum fieri posset, parcendum (cum viginti ac septem armatorum hominum millibus illius urbis praesidium constaret) eam statuit obsidere. Grande scilicet ac mirabile erat spectaculum idibus Octobribus Gallicanum exercitum oculis percurrere. Maximo & assiduo ingruente imbre, via & campo undique torrentibus coeno stagnis submerso, cibo deficiente, haud tamen milites minori alacritate Imperatoris jussa, ac praescripta itinera conficiebant, qui inter eos volitans ac iisdem laboribus incommodisque pressus, *Imperiali dignitate*, ajebat, *militarem disciplinam & patientiam ejus animo obliteratam haud fuisse, seque ea omnia libenter per-*

peti, quae ad Gallicani sanguinis effusionem impediendam conducerent.

Ulma undique circumvallata, deditionem praegrandi illius praesidio, & Mackio ejus Duci indixit IMPERATOR militaris severitatis minas adjiciens, si vi urbem expugnare cogeretur Eo nuncio Mackius summopere commotus victoris clementiam imploravit, veniamque petiit, ut saltem in patriam milites eorumque Duces reverti sineret: at id nonnisi pro his potuit obtinere. Coactus ergo est totum exercitum seque ipsum Victori dedere. Sex insuper dierum comperendinationem ad urbem tradendam Mackius postularat, Moschorum exercitum interea perventurum sperans; at cum ea quoque spes in auras abiisset, urbis, arcis, praesidii, instrumenti bellici, tormentorum traditio praestituto tempore perfici debuit.

Decimo tertio igitur kalendas Novembres hora tertia pomeridiana, NAPOLEONE praesente, viginti ac septem militum Germanorum millia Ulma cesserunt, signisque atque armis coram eo prostratis, sese ipsi dediderunt. Primum Germanorum Ducem decem atque octo ex ipsis sequebatur, qui Ineshezbergae oppidum, castra, munitiones tueri nequierant. Inter eos praeter Mackium ipsum duo Lichtensteinii, Laudonius junior, Godesheimius, Fresualius, Giulayus, Klenaus saucius, Reschius, Ulmius, Bichterius, & Stipelitzius recensebantur. Odonelius ex Hiber-

nia oriundus cum Joachimo Murato strenue decertans mortem obiit, ejusque integra Legio sex hominum millibus constans decimo septimo kalendas Novembres ab hoc capta fuit. Wernechius ad Aras Flavias cum duodecim peditum millibus, bis mille, & quingentis equitibus, cunctisque exercitus Principibus ac Tribunis arma posuit: inter eosque Bailletus, Hoenzollernius, Vogelius, Machereyus, Hokenfeldius, Wertherius, Dienesbergius, Lucatellius, ac Riesius cum quingentis instrumentorum ac tormentorum carris sese victoribus dedidere. Tot tantaeque victoriae tanta celeritate ac tredecim dierum spatio ab hostibus relatae fructum fuere maximorum itinerum summo ingenio ac celeritate jussorum, quibus Napoleo omnia adversariorum consilia antevertit, atque hi prius se a Gallis circumdatos, eosque adesse, quam adventasse senserunt.

Eo pacto sexaginta hostium millia tam brevi intervallo cepit Napoleo, praeter caesos & saucios, plusquam biscentum bellica tormenta, duo & quinquaginta vexilla, centies mille igneas ballistas, ex quibus viginti millia, atque ea omnia, de quibus nuper meminimus, tormenta bellica Vindelicis donavit. Captivos Germanorum Duces ad se vocatos brevi & diserte est allocutus, incredibilem Gallorum vim, numerum, virtutem eis commostravit, ac difficultatem, qua bellica quaevis Gens cum iis contendere posset, ostendit; tum

se nihil habere ait in Continenti, quod cuperet, ac maritimo dumtaxat Gallorum commercio ampliando inhiare, id Britannos agnoscentes feralia istiusmodi bella inter Continentis Populos concitare, quorum acerrimum ac Germanis funestissimum illud erat, quod modo ab eis in Gallos movendum iidem Britanni curarant; se autem nihil vehementius optare, quam ut ipsi Germani a bello tam injusto, tam humano generi noxio, eorumque Imperatori funestissimo quantocyus desisterent.

Ad suos deinde milites ille sermonem convertit, & nuncians, se insequenti die ad Elchingam castra positurum, his illos fuit allocutus: *Quindecim dierum spatio plenam, Milites, de hostibus victoriam reportavimus, ac totum id, quod nobis proposueramus, assecuti sumus, Germanos e Suevorum ac Vindelicorum finibus depulimus; illorum exercitus, qui nostris etiam finibus tanto impetu minitabantur, vicimus, fudimus, ac plane delevimus. Id autem parum Britannorum interest, qui summopere laetantur, quod interea, eo bello concitato, immensa vestrum agmina, quae ab ultimis Gessoriaci oris in Germaniam adduci debuerunt, ipsorum littoribus instare ac minitari amplius non vident: maximo autem eorum sumptu ac detrimento id Britanni obtinuere. Grandis pecuniae vis, quam illi ad bellum hoc excitandum ac sustinendum in Germaniam miserant, in nostram jam venit po-*

testatem. Sexaginta Germanorum captivorum millia glebae addiximus, atque ad nostros agros colendos abduci jussimus; biscentum bellica tormenta, nonaginta vexilla, omnes prope ipsorum Duces in nostras manus cecidere; atque ex tot tantisque hostium copiis vix quindecim illorum millia salutem fuga quaerere potuerunt: &, quod magis est, incredibiles hasce victorias, perpaucis nostrorum amissis, retulimus. Is fructus est mirae vestrae patientiae, virtutis, obedientiae, maximaeque fiduciae & amoris, quo vestrum IMPERATOREM *prosequimini. Haud tamen hic vestrarum victoriarum finis; haud hic vestra gloriae conquirendae cupido sistit. Cum Moschis, quos Britannorum aurum huc usque pertraxit, vos vehementer optatis decertare. Peditatus praesertim Gallicanus cominus cum iis pugnare cupit, ut secundo dignoscatur id, quod apud Helvetios & Batavos paucis ante annis primo agnitum fuit, Moschorum conatus ad Gallos vincendos in eorum perniciem omni procul dubio cedere oportere. Quod me sommopere piget, illud est, neminem esse inter illorum Duces, quo victo, gloriae quidpiam mihi parari possit. Quidquid ea de re sit, unum mihi maxime cordi erit, ut plenam de iis quoque hostibus quam minima fieri possit sanguinis effusione victoriam portemus.*

In duo deinceps agmina Gallicano exercitu diviso, eorum unum Augustam Vindelicorum, alterum Tirolim versus processit. Primum tanta rapiditate

volitavit, ut tertio kalendas Novembres Brundunum munitissimam urbem occuparit, ac duo & septuaginta bellica instrumenta ceperit. Illius Praeses Lauristonius jussus fuit: Bernardottus Juvavia potitus est: Vindelicorum Princeps Monachium remeavit, dum Galli ex altera parte regiones omnes ad Germanorum Imperatorem in Suevia spectantes tenebant, ex altera superiorem Austriam versus celerrime properabant.

Caput XXIX.

Galli Moschos pluries nanciscuntur & vincunt: tum Castris Flavianis potiuntur.

Primus Muratus Oenum transmisit, urbes & agros ad Germanorum Imperatorem spectantes occupavit, ac pride kalendas Novembres Lampacum advenit. Octo eo in loco nactus est Moschorum cohortes, quae Kenmaierio Duce Germanorum retrocedentium reliquias tuebantur. Illos statim aggressi sunt Galli, & signis collatis brevi ab his illi fusi sunt ac fugati, atque ducenti ex illis capti. Trauni pons recisus erat; sed Davoustius cymbarum pontem ei substituendum curavit, quo Soultius eodem die Velsiam ac Stiram pervenit. Kellermannus hostile agmen octo armatorum millibus constans est insecutus, quod Carinthiae via secesserat, atque ad Nasselingae arcem castra posuerat. Verleus eam a Campobanii militibus per

inaccessas prope rupes circumdandam curavit: dedita ipsa statim Gallis fuit; hostium agmen, plusquam quingentis eorum caesis & captis, fugam arripuit.

Kalendis Novembribus Aureliano prima superioris Austriae urbe potitur Muratus quam Germani cum magno militum aegrotorum, in iisque centum Moschorum numero deseruerant. Ea in urbe castra posuit Imperator; atque in ipsa magnam salis, pecuniae, bellicorum tormentorum vim reperit. Muratus, Milhaudio & Valterio comitibus, hostes insequi non destitit, omnesque Anisi pontes ab hostibus deletos aut recisos brevi restituit. Davoustius pridie idus Novembres Stiram ducentosque in illa hostes cepit. Deroyus Vindelicorum Dux ad Loversum primum agmen Germanarum copiarum ex Italia secedentium est nactus, illud statim petiit; quadringentos milites, tria bellica tormenta ipsi ademit, praeter saucios, quos biscentum & quinquaginta numerum attigisse, in iisque ipsum hostium Ducem fuisse renuntiatum est. Interea magna Moschorum manus Almstettae colles occuparat. Muratus Audinoti antesignanos suosque equites eos aggredi jussit. Commisso praelio, post diuturnam sane pugnam ac pertinacem Moschi fugae se dedere, quadringentis ipsorum caesis, mille captis, fuerunt coacti. Frustra illi recisis Ipsii pontibus salutem sibi quaerere, & Gallorum celeritati impedimenta objicere

adnisi sunt: iis namque statim restitutis, potuit Muratus eodem die ad Molchii Monasterium pervenire, & prima agmina ad Divi Hippolyti fanum usque perducere. Paullo post ipse Imperator illuc advenit, ejus Monasterii bona omnibus belli incommodis immunia servari jussit, ac Lustchlosii aedes ad Germanorum Imperatorem spectantes a militari licentia praeservandas curavit. Marmontus Laubam versus Stiriae urbem progressus, hostilem Giuliai cohortem est nactus, manibusque consertis, quadringentos ex ipsius militibus cepit.

Tertio idus Novembres summo mane Mortierus quatuor Gallorum millia Hagamam adduxit, postremum hostium agmen sese eo loci nacturum putans: at non illud solum, sed integer hostilis exercitus illic eum praestolabatur. Grave tunc & semper in militaribus annalibus memorandum commissum est praelium, quo ab hora septima matutina ad quartam pomeridianam acerrime pugnatum est, ac memorata quater mille Gallorum manus non modo integri Moschorum exercitus impetum repulit, sed etiam illum plane profligavit. Unterio, & Oaerloiba potiti Galli pugnae finem factum esse putabant, cum Moschi, decem vexillis, sex bellicis tormentis, quingentis amissis militibus, bismille caesis ac sauciis summopere irati pugnam vehementiore impetu redintegrarunt; totoque exercitu in duas acies diviso, totam illam Gallorum manum circumeundam curarunt. Ea de

re certior factus Mortierus hostes adortus est, ac viam sibi inter eorum agmina aperuit, dum alia Gallorum manus Moschos altera ex parte fuderat, ac duo eis signa, quadringentos milites ademerat. Eo die plusquam tria Moschorum millia caesa ac vulnerata sunt; mille ac trecenti ex ipsis in iisque complures illorum Duces capti fuerunt; dum tamen ex ipsis victoribus plures mortem oppetebant; atque inter eos Vatterius Tribunus militum caesus fuit, dum Germanos ultra Danubium insequebatur, mille & quingentis ipsorum plane nudis antea captis. Diernestenii pagum, ubi commissa est pugna, statim fuit a Gallis occupatum; ac Milhaudius via, quae Volcherdofium ducit, hostes ad Moraviam usque fuit insecutus, ac die insequenti sub meridiem jam sexcentos ex hostibus quadraginta bellica instrumenta complura carra ceperat. Lannius interea Klocheraum advenit, grandemque sagorum copiam, octo mille calceamentorum paria, permultas ocreas, pannunque plurimum inibi reperit. Plures itidem in Danubio cymbas is cepit corio, armis, militaribus vestibus onustas.

Tot tantaeque victoriae haud sane perdifficilem Gallis ad castra Flaviana aditum aperuere. Eo Muratus ac Lannius idibus Novembribus pervaserunt, atque inibi plus quam bismille tormentorum bellicorum, centum atque octoginta millia ignearum ballistarum, gladiorum, aliorumque te-

lorum cujusvis generis, immensos commeatus, atque annonam ceperunt, cum tamen antea Germanorum Imperator, illius familia, exterarum Gentium Legati, ac primi Magistratus inde secessissent. Clarkius universae Austriae, tum nempe superioris, tum inferioris Praeses fuit renuntiatus, illiusque Legatus Darunnius est jussus. Muratus in Alberti Saxeteschii aedibus exceptus est. Napoleo amoenissimum Scoembrunii castellum in suam stationem elegit. Octavo kalendas Decembres ille urbem ingressus est; & cum summam in ea quietem ordinemque vigere comperisset, maximis laudibus illos, qui ipsius regimini praeerant, cumulavit.

Paucis diebus Gallicanus exercitus, illiusque Imperator in Flavianis castris moratus est. Profecti inde Muratus & Lannius decimo sexto kalendas Decembres Moschos ad Hollabrunum sunt nacti, ac parva cum eorum equitatu velitatione commissa, statim hostes praecipiti se fugae dedere, centum carris commeatuum & instrumentorum plenis eorumque equis relictis. Magno impetu illos insecuti sunt Galli, &, cum jam prope ipsos erant aggressuri, Germanorum nuncius litteras pertulit, quibus petebatur, ut Germanis copiis a Moschorum exercitu secedere liceret. Ea re Germanis permissa, paullo post Vintzigerodes alter ex Moschorum exercitus Proceribus Alexandri Primi illorum Imperatoris Legatus advenit, & con-

ditiones quasdam ad illorum copias in patriam incolumes reducendas proposuit, easque MURATUS accepit: sed IMPERATOR NAPOLEO, cum eum Legatum opportuna ad illam pactionem ineundam auctoritate destitutum esse comperisset, cumque Alexander parum inde abesset, eam pactionem probare noluit, nisi statuto tempore ab ipso quoque Alexandro illa confirmaretur. Hujus ratihabitio defuit: illa igitur quoque pactio in leves auras abivit, & ad manus iterum ventum est, ac MURATUS Moraviam ingressus decimoquarto kalendas Decembres Moschos ad Juntendorfium devicit, & duodecim tormenta, centum carra, bis mille pedites illis ademit. Post haec hostes per patentes illius regionis campos est insecutus, alia duo millia ex illis cepit; & cum ii colles Porlitii occupare nequivissent, Brunam in urbem sane munitissimam ovans ingressus est, cujus milites atque incolae portas aperuere, nec victoribus vel momento temporis obstiterunt. Ea in urbe NAPOLEO castra posuit; ibique ad eum nuncius advenit, Franciscum Secundum Germanorum Imperatorem una cum Alexandro Primo Moschorum Imperatore Olomutii degere, qua longe ab urbe vix quadraginta passuum millibus Galli distabant.

Interim Viazannius Equitum Davoustianae Legionis Dux Posonium usque ad primam Pannoniae civitatem pervaserat, quae a Flavianis Castris abest quinquaginta passuum millibus: qua re

Palfius illius Regni Praeses magnopere commotus litteras eidem Davoustio misit, quibus postulabat, ut Pannonii ab omni bello ac funestis ejus effectibus incolumes evaderent. Post plures congressus inita pactio est, qua Gallos in eam Gentem bellum non illaturos promissum fuit, dummodo omnes illius copiae ex ejus finibus recederent, neque ulla ipsius militum manus in Germanorum auxilium mitteretur. Eodem tempore Neyus alter Gallorum Dux, Imperatoris nuntio accepto, Tirolim ex ejus mandato summa virtute prudentiaque occupavit, Scarnitii, & Neusterchii arcibus circumdatis, quibus aditus ad eam satis vastam atque incolis frequentem provinciam aperitur. Mille atque octingentos iis in urbibus ille captivos fecit, ac sexdecim tormentis bellicis pluribusque equis potitus est. Decimo sexto kalendas Decembres sub vesperum Oeni pontem (quae prima est illius provinciae urbs) occupavit; inibique tormenta bellica plurima, sexdecim ignearum ballistarum millia, magnamque nitrosi pulveris copiam occupavit, atque in proxima Hallae Civitate maximam commeatuum copiam reperit. Joannes Francisci Imperatoris frater, qui illi praeerat provinciae, Luxtellum versus praecipitem fugam arripuit uni victoris magnanimitati mille ac biscentos aegrotos commendans. Kufteinii arx statim a Germanorum Duce fuit Mezzanellio Vindelicorum Duci tradita, & Rothomagensium Princeps,

qui alia manu eam regionem defensandam susceperat, Bassanum usque recesserat; sed brevi petitus a Gallis fuit, vulneratus, & captus una cum septem millibus ac biscentis peditibus, septingentis equitibus, omnibusque eorum ducibus, sex signis, duodecim tormentis. Quod vero in primis est memoratu dignum, illud est, septuagesimam sextam cohortem in promptuariis ad Oenipontem sitis duo ipsius vexilla reperisse, quae anno millesimo nonagesimo nono in Rhaetorum regionibus amissa fuerant. Vehementi milites laetitia moti illa vindicarunt; tyronesque maxime sibimet ipsis gratulabantur, plus ipsorum virtutem, quam veteranorum prudentiam valuisse. Ea de re certior factus IMPERATOR ejusmodi eventum laude maxima atque aeterna memoria dignum tabulis a clarissimis pictoribus exprimi jussit.

Caput XXX.

Celeberrimum Austerlitii praelium, ac non minus celebris Napoleonis *victoria. Induciae inter ipsum & Germanos ineuntur.*

Jellachichius, & Volfecherius Germanorum Duces cum se Volarbeghium & Tirolim versus recipere nequivissent, eorumque Legiones a tergo Augereaus Gallorum Dux petiisset, sese cum suis copiis huic dedere coacti sunt. Earum vero copiarum pars cum sese Gallis dedere noluisset, viam sibi per Sueviam & Franciam aperire conata est. Bismille ex illis circiter Anspachii & Norimbergae via Egram properarunt. Neyus Brissenonium, Coveliacum, & Bocenum a suis occupari jussit, ac deinde Tridentum & Roboretum usque processit: atque in omnibus iis urbibus magnam armorum, commeatuum, aegrotorum copiam reperit. Napoleo interim Brunae in Moraviae Civitate constiterat eo intendens, ut Olomutium progrederetur; unde Graccopolim & Leobergam versus familia Germanorum Imperatoris secesserat. Munitissimam illam Olomutii urbem obsidere ac vi expugnare statuerat Napoleo; eamque ut perniciem ab hostibus averteret, Stadioni ac Giuliayo illam tenentibus inducias obtulit, quae planam paci viam sternerent. Longe autem diversa erant hostium consilia; quarto nam-

que kalendas Decembres certus Napoleoni allatus est nuncius, secundam Moschorum phalangem, ipso Alexandro imperante, ac tertiam Duce Constantino ejus fratre magnis itineribus Olomutium pergere. Eodem tempore nuncius advenit, grandi Cosacorum manu, equitibus Moschis adjuvantibus, primas Murati excubias repulsas fuisse, Vichai pagum circumdatum, triginta milites captos. Eodem die Moschorum Imperator eo in loco castra posuit; ejusque exercitui auxiliares viginti ferme millium Germanorum copiae adjectae sunt.

Eam Moschorum Ducum imprudentiam agnoscens Napoleo ex ipsa opportunam capere utilitatem sapientissime decrevit. Simulavit igitur, se timore captum noctu raptimque velle recedere: viginti prope passuum millibus copias reduxit; & castra celeritate maxima munivit: colloquium deinde cum Alexandro Imperatore postulavit, qui Dolgoroukium legatum ad eum misit; hic autem nescio quid trepidationis in Gallicano exercitu agnoscere visus est. Cum is conditiones, quae accipi plane nequibant, proposuisset, ac proinde re infecta rediisset, facile suo Imperatori suasit, ut praelium committeret; eo victo, belli finem fore; perdito autem, nihil inde detrimenti Moschorum Imperium esse capturum; atque incommodum totum Germanos tantummodo eorumque Imperatorem esse sensurum. Frustra ei con-

silio veterani Germanorum Duces obstitere, qui cunctando communi saluti consulendum esse censuerunt. Moschorum ac juniorum Ducum sententia praevaluit, quae praelium decernebat, quaeque octoginta armatorum millibus, ipsa Imperatoris praesentia, virtute, ac sapientia (ut ii opinabantur) certam sibi victoriam praesagiebat.

Kalendis igitur Decembribus anni millesimi octingentesimi quinti NAPOLEO summa exultatione Moschorum exercitum dexteram Gallici exercitus alam magno ambitu longius circumdare conantem eminus inspexit. Tum ille pluries inquit: *Totus ille exercitus cras in meam veniet potestatem*. Longe autem audaciores erant Moschorum Duces, qui suos milites sub Gallorum oculis ad eos appropinquare jusserunt; dum hi quasi tremebundi hostibus tanta arrogantia insultantibus se obsistere nolle simulabant. Nihil omissum est, quod eam opinionem Moschis ex summa Gallorum continentia inditam non magnopere confirmaret: atque ipse MURATUS cum parvam equitum manum paullum progredi jussisset, statim receptui cani voluit, quasi magna hostium multitudine deterritus esset. IMPERATOR pedes atque incognitus voluit tentoria omnia per se visere; at post paucos passus ab omnibus agnitus fuit. Innumerae faces perticis superimpositae sunt, ac plus, quam octoginta militum millia ipsum magnis plausibus atque acclamationibus exceperunt anniversarium diem,

quo is Imperiali corona fuerat insignitus, celebrare ac munus aliquod ei se velle praebere jactitantes. Iis Napoleo *sese maxime laetari* respondit, *quod tanta multitudine militum lectissimorum se circumdatum videret; eo autem maxime contristari, quod aliquam eorum partem perituram cognosceret; ab ea tamen adeo tristi cogitatione consulto animum avertere, ne suorum miseratione ductus belli gerendi artem dedisceret.*

Paullo ante insequentis diei auroram omnia Napoleo ad praelium rite disposuit: Davoustium maxima celeritate ad Raygernii coenobium properare jussit ea lege, ut una ex suis peditum Legionibus, atque altera equitum Legione hostem cunctaretur, donec sinistrum illius cornu sensim a tergo circumdaretur. Sinistrae Gallicani exercitus alae Lannium, dexterae Soultium, centro Bernardottum, equitatui omni in uno loco collecto Muratum praeesse voluit. Dextera Santonium tenebat, locum tum sui natura, tum Gallorum arte munitissimum; eumque in locum jam ante duodecim bellica tormenta, ac prima levis armaturae peditum cohors missa fuerat: Sucheti Legio sinistrum in Lannii exercitu latus tenebat. Primum Murati equitatus agmen velitibus, Kellermanno Duce, constabat, secundum Veteri & Beaumonti Legionibus, tertium gravis armaturae equitibus, Nausouryo, Dautyo, ac Dautpoulo Ducibus conflabatur; & quatuordecim minoribus tormentis praedi-

tum erat. Bernardotti copiae, quae in centro erant universi exercitus, sinistro e latere Rivaudi Legionem habebant: haec cum dextera MURATI ala, & Droueti Legione jungebatur. Soultius, qui dextero exercitus cornu imperabat, sinistro e latere Vandami Legionem, in medio Sancti Hilarii, dextrorsum autem Lagrandi Legionem habebat. Davoustius a dextero hujus latere sejunctus paludum, & Sottornitii, ac Celnitii pagorum aditus tuebatur, ejusque exercitui Bouttieri etiam Legio accesserat. Goudeni Legio hora secunda pomeridiana progredi coepit ad hostes prohibendos, ne dexterum ipsius cornu praetergrederentur. IMPERATOREM Alexander Berthierus & Junotus atque complures alii exercitus Primores decem Praetorianorum militum Cohortibus, ac totidem Audinoti Legionibus, Durocho duce, circumdabant. Eos alloquens NAPOLEO, *fulmine opus est,* inquit, *ad tantam nostrorum hostium arrogantiam retundendam: fulmine utemur; & veluti fulmen in novum hunc Cyrum ac Xersem irruemus.*

Postremum hoc agmen in duas acies divisum, & quadraginta tormentis bellicis munitum fuit, atque ita dispositum, ut, quocumque opus esset, statim posset evolare. Orto sole, postquam NAPOLEO copias omnes invisit, his suos est milites allocutus: *Moschorum exercitus ad Ulmensem Germanorum cladem ulciscendam vos adoritur; at hic exercitus idem ille est, quem vos ad Hollabrounum*

vicistis, & huc usque estis insecuti. Quae nos occupavimus loca, haud unquam ab illis expugnabuntur; ac, dum ipsi dexterum nostri exercitus latus circumdare conabuntur, in insidias imprudentes incident. Vestra agmina ego met, milites, ad victoriam ducam, &, si statim hostiles acies profligatas videro, a mea vita in discrimen adducenda abstinebo; at, si vel momento temporis victoriam in incerto pendere sensero, vestrum Imperatorem *ad prima agmina volaturum, nec periculi quidpiam vitaturum cernetis; cum ipsa victoriae dubietas Gallorum praesertim peditum famae non mediocrem notam inurat, cujus gloria cum universae Gallicanae Gentis splendore arctissimo vinculo jungitur. Hac victoria bellum istud omne conficietur, eaque parta, in hybernis quiescemus. Immensae tunc commilitonum copiae, qui e Gallia jam profecti sunt, huc advenient; ac tunc honesta pax, atque Gallicano Populo, vobis, & me digna nostris laboribus coronam adjiciet.*

Incredibili haec collocutio est plausu atque acclamatione excepta; atque una omnium voce Io Imperator coeptum est praelium. Dexterum cornu, Davoustio Duce, primum hostes aggressum est. Is duabus Legionibus Pratzenii colles occupavit, ac dexteram Moschorum alam ita a reliquo ipsorum exercitu separavit, ut illi statim animis ciderint, cum sese prope circumdatos viderint, dum Gallos aggredi & circumdare ipsi niteban-

tur. MURATUS suum equitatum in hostes conjecit, Lannius peditatum, ita divisis exiguo intervallo singulis cohortibus, ut locum ducentorum tormentorum explosioni facerent: atque adeo terribilis tunc conflictus exarsit, ut gigantum bellum redintegratum esse videretur. Nondum hora a praelii initio effluxerat, cum sinistra Moschorum ala plane reliquo exercitu interclusa fuit, ac dextera Austerlitium pervenit, quo nonnullae Praetorianorum militum cohortes a Moschorum Ducibus ad commeatum cum céntro restituendum missae fuerant, & Gallicanam cohortem illas aggredientem repulerant. Hac de re certior factus NAPOLEO Bernardottum eo advolare, atque hostes undique aggredi jussit. Tunc redintegrata magno impetu est pugna, quae ab hora septima matutina usque ad quintam vespertinam protracta est, & cujus exitus is fuit, ut Moschorum exercitus profligatus plane fuerit ac prope deletus. Quindecim namque illorum millia sunt caesa; viginti & quinque millia capta, in iisque maximus Ducum & Procerum numerus, ac centum & viginti bellica tormenta: Praetorianorum insuper militum decem millia prope deleta sunt, eorumque vexilla, tormenta, Dux captus. Hora prima pomeridiana jam in ancipiti haud amplius stabat victoria; & Moschorum Legio a Gallis exagitata in lacum se conjecerat, ubi tota pene cum aliis quadraginta signis immersa deperiit. Eaque omnia tanto impetu, tanta

exultatione peracta sunt, ut inter praeliandum assidui fuerint clamores: Io IMPERATOR, Io NAPOLEO MAGNE; atque ipse anniversarius dies, quo is Imperiali fuerat dignitate auctus, ipsum ejus diei magnificentissime celebrandi studium magnam militum animis vim atque alacritatem adjecit, majoremque & jucundiorem victoriae fructum properavit.

Praelio confecto, atque ejus diei residuo quieti dato, his NAPOLEO est milites allocutus: *Austerlitii praelium, Milites, summa vos laude & commendatione apud me, patriam, atque omnes gentes cumulavit. Vos famam, quae de majorum ac vestra virtute percrebuerat, confirmastis atque auxistis; vos centum armatorum millia a Moschorum, & Germanorum Imperatoribus ducta paucarum horarum spatio plane profligastis. Quotquot ex hostibus vestra tela effugerunt, totidem certam mortem in lacunis, ad quas vestri terror eos pertulit, nacti sunt. Quadraginta hostium signa, omnia Praetorianarum cohortum vexilla, centum & viginti bellica instrumenta, viginti hostilis exercitus Proceres, triginta hostium millia eo praelio in vestram deciderunt potestatem: Moschorum peditatus fama perceleber, numero superior vestrum impetum nequiit sustinere; nemo jam vobiscum potest contendere. Minore tribus mensibus spatio tertium a Gallorum hostibus initum foedus devictum vestra virtute est ac dissolutum; brevi pacem obti-*

nebimus; haud tamen eam pacem subscribam, quae Gallici nominis gloriam, Sociorumque nostrorum securitatem, non confirmet. Id ego Gallicano Populo, antequam ad exercitum venirem, spopondi; id certe me impleturum rursus polliceor. Cum me Populus Imperiali diademate decoravit, totam in vestra virtute fiduciam collocavi, a qua dumtaxat illius splendor & gloria erat conservanda, & qua solummodo illud charum mihi ac jucundum reddi poterat: at eodem tempore nostri hostes in illud pessumdandum atque labefactandum conspirabant. Quid de ferrea corona dicam, quam Gallicano sanguine partam ac in nostro capite collocatam inde avellere nostri hostes conati sunt, ut illam ad quemlibet vestri inimicissimum turpissime deferrent? Oh temeraria ac desperata consilia, quae vos anniversario die, quo Imperiale mihi diadema impositum est, penitus destruxistis! Vos vestra virtute Gallos facilius verbis, quam gestis superari posse docuistis. Cum bellum hocce confectum, milites, erit, & honesta pax nobis nostrisque sociis parta fuerit, ipse met vos in Patriam reducam; atque inibi vos mihi & Gallicano Populo summae curae atque admirationi eritis. Cum vestrum quilibet ante Civium suorum oculos obversabitur, tum is uti heros plusquam humana virtute instructus, atque a coelo delapsus digito ostendetur, omniumque admiratione, plausu, veneratione cumulabitur.

Insequenti die, tertio nempe nonas Decem-

bres summo mane Lichtesteinius Germanorum Dux ad Napoleonis castra volitavit, diuque cum illo est collocutus. Pridie nonas Decembres idem Imperator Austerlitio Samschitium castra transtulit; eoque paullo post Franciscus Germanorum Imperator se contulit, ac trium horarum spatio cum Napoleone est collocutus. Eo congressu induciae conventae sunt, ac primae conditiones, quibus solida pax quantocyus ineunda niti deberet. Tum Franciscus Napoleoni nunciavit, Moschorum quoque Imperatorem ineundae pacis desiderio flagrare, aut saltem induciis & ipsum se comprehendi velle. Respondit Napoleo, ita a suis circumdatas esse Moschorum reliquias, ut ne unus quidem ex illis salutem sperare posset; si tamen eas Germania Poloniaque statim decessuras ipsi promitteretur, se illis id permissurum. Sua id fide pollicitus est Franciscus, ac deinde, Napoleone comitante, ad quadrigam rediit, qua statim ad suos revectus fuit.

Tum octavo idus Decembres conventae inter Gallos ac Germanos sunt induciae, quae, nisi pax sequeretur, nonnisi post quindecim dierum spatium a mutua denunciatione finem habituras statutum fuit: certi inter utrumque exercitum, tum in Italia, tum in Germania, ac Polonia positi sunt fines, Moschorum phalanges certis diebus Germania Poloniaque abscessuras promissum fuit; nullum in Pannonia ac Bojemo novum de-

lectum haberi posse constitutum est, nullas exteras copias Germania excipiendas, denique Legatos Nicolaiburgum quamprimum mittendos, qui perpetuam solidamque pacem inter utrumque Imperatorem negotiarentur.

Caput XXXI.

Posonii pax, ejusque conditiones exponuntur.

His induciis initis, Brunam Napoleo secessit, ubi Moschos in patriam maximis itineribus ex pacto remeare novit, ipsorum Imperatore Alexandro, & Constantino ejus fratre ducibus. Septimo idus Decembres is decretum ediderat, quo varias demortuorum in Austerlitii praelio Ducum & militum viduis pensiones addixerat, eorum filios arrogarat, suoque sumptu ali atque educari jusserat, ac Napoleonis nomen suo adjicere siverat; tum millies centena libellarum millia Germanis imperata in milites Ducesque distribuenda esse edixerat. Interim vero Nicolaiburgo Posonium sese contulerunt utriusque Imperatoris legati, eaque in urbe pacem subscripserunt septimo kalendas Januarias anni millesimi octingentesimi quinti, qua conventum est, regiones omnes atque urbes antea per Gallos possessas ab eis retinendas esse; Franciscus Germanorum Imperator ea cuncta, quae in Italia Napoleo Gallorum Imperator de Plumbini praesertim ac Lucae regimine innova-

rat, rata habuit, Venetum universum territorium, Dalmatiam, Cathari fauces, Ioniasque insulas ei cessit, ipsum Italiae Regem agnovit: Vindelicorum, Virtembergensium, Thermanum inferiorum Principes Regum titulo decoravit, eorumque primo Burgoviam, Eichstedum, Boioduni territorium, quod ad Juvaviae Dinastem spectabat, Tirolim, Brixinum, Tridentum, Voralbergam integram, Hohenemsium, Konigsegrothensfelsiam, Tetnangam; Argam, Lindaviam, earumque urbium ac pagorum territoria & regiones iis adnexas attribuit: secundo Ehingam, Munderkingam, Mengam, Sulgaviam, Hohembergam, Nellemburgum, Altorfium, ac finitimas iis urbibus regiones & territoria, oppidaque in iis comprehensa, Constantia dempta, Brisigaviam omnem Virterbengensibus finitimam a Schtegerberga usque ad Molbacum, ac Vittingam etiam & Bretingam: tertio demum Brisigaviae residuum, Ortenaviam, Constantiam, & Minaum. Tum aes omne alienum, quod Germanorum Imperator statuta super regionibus cessis hypotheca contraxisset, & quod in eorum Populorum rem versum non esset, ille in se suscepit, Juvaviae & Berchtolsgadae ditione; quae penes Ferdinandum ejus fratrem erat, recepta, & Herbipoli per Vindelicorum Regem huic data, cujus tamen aes alienum nonnisi pro portione in illius populi rem versa idem Ferdinandus Francisci frater in se suscipere deberet.

Statutum praeterea illa pace fuit, Tribuniciam potestatem Teutonicorum Equitum penes eum futuram, quem Germanorum Imperator esset designaturus, Vindelicorum Regem potiri posse Augusta Vindelicorum; Virtembergensium Regi jus esse Bondorfium occupandi; tabulas omnes, quae ad cessas regiones & Populos pertinerent, novis illorum Dominis ac Principibus tradendas esse; Helvetiorum Batavorumque Respublicas a Germanorum Imperatore agnosci, mutuam Germanorum & Gallorum captivorum eorumque Sociorum restitutionem fieri oportere, atque commercium inter eos Populos, uti inter amicos statim esse redintegrandum; tum ambos Imperatores iisdem honoribus ac reverentia, qua se invicem ante bellum colebant, inposterum semetipsos cumulaturos. Conventum insuper illa pace est, quinque dierum spatio, postquam illam utrimque ratam Imperatores habuissent, Posonio atque ab ejus territorio decem & octo passuum millibus Gallos abscessuros; post alios quinque dies Moravia, Boiemo, finitimisque regionibus, Pannonia, & Stiria profecturos; decem post alios dies paullo amplius Gallorum copias recessuras, ac demum duorum mensium intervallo regiones omnes atque urbes, quae ad Germanorum Imperatorem spectarent, deserturos, munitissima Brunduni urbe dempta, quae aliquanto amplius in Gallorum potestate remanere deberet.

Haec est praecipuarum conditionum, quibus illa inita pax fuit, summa; eamque Napoleo insequenti die suprema ipsius auctoritate confirmavit; ac pro tormentorum, segetum, & promptuariorum divisione alia deinceps sunt constituta, quae fusiori expositione non indigent. Tum Napoleo pacem ictam exercitui denunciavit kalendis Januariis anni millesimi octingentesimi sexti, milites ad rigidissimam disciplinam revocavit, eorum strenuissimos amplissimis praemiis donavit, reliquos pacis, gloriae, praemiorum spe confirmavit, ad virtutem ac suae famae propagandae cupidinem concisa & pereleganti oratione inflammavit; nihil denique omisit, quod tanto Imperatore, tanto Populo, tanto Exercitu dignum esse videretur. Allocutus etiam ipse est, antequam Castra Flaviana desereret, inclytae illius urbis Incolas; illorum mores, prudentiam, virtutem, urbanitatem summopere commendavit, pacem initam cum ipsorum Imperatore nunciavit, illum perbrevi ipsos recepturos edixit; promptuaria, commeatus, navalia, quae jure belli ad ipsum devenerant, eis sponte donavit: nihil denique omisit, quod ad belli incommoda lenienda, pacisque fructum quantocyus eis restituendum conduceret.

Libri primi finis.